ENCHIRIDION DE PRINCIPIIS PERIPATETICIS LIBRI TRES AUTHORE D…

Giovanni Battista Achilli,
Ludovico Mattioli

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

3.8.637

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

A

Ill.mo Domino, et Doctissimo
Viro Antonio Malliabechi
D. Iosep. Baptista Achilli
Felicitatem precit, et
munusculum dedit.

XII
ACH

Digitized by Google

3.8.637

Digitized by Google



Digitized by Google

3. 8. 637

Digitized by Google

ENCHIRIDION
DE
PRINCIPIIS PERIPATETICIS
LIBRI TRES

AUTHORE

D. JOANNE BAPTISTA
ACHILLI

In Congregatione de Somaſca
Philoſophiæ Profeſſore.

BONONIÆ, M.DCCII.

Typis Conſtantini Piſarii ad S. Michaelem
prope Archigymnaſ. *Super. permiſſu.*
*Sumptibus Ludovici Ruuinetti ſub Signo
Mercurii.*

Digitized by Google

3. 8:637

Digitized by Google

AD DEUM CREATOREM
PRO PRIMITIIS.

HYMNUS.

FVcatæ renuis qui ſapientiæ
Fumoſum pretium, Conditor ætheris,
Auſcultas meritas numine fervido
Laudes, quas lyra concinit.

Nam fruſtra ſtudet is, qui Tibi non ſtudet
Nec veri facilis pes terit ardua,
Quã monſtras aliò, qui migrat invidens
Quæſitis bene honoribus.

Ceu qui protraheret cuſpide lineam,
Qua rectum faciat duplicis anguli
Diviſum ſpatium, non canone æneo,
Obliquove erit uſquam opus.

Sic rerum ſpecies mente ſophiſticis
Metiri cupiet qui rationibus,
Quid dignum fidei non ſpeculabitur
Votis luſus inanibus.

Tu ſolus tenebras lumine diſcutis
Quo curas animi detegis irritas,
Erroreſq; fugas: hoc ſine fallitur
Verbis grandiloquis homo.

Conſidet vitreo ſi quis acumine
Turgens ingenio non ſobolis bona,
Triſtem retro gradum ſed dabit impetu
Vocis, qua obloquitur, pia.

Qua primordia ſint condita corpori
Omnes ſolliciti mente revolvimus,
Vera materia formaq; propria
Quid ſit promere quarimus.

Sed Tu Principium diceris omnibus,
Qui rectè ſapiunt, finis & optimus
Extas perpetuis, occiduis bonis,
Soluſq; arbitrio regens.

Edoctus patrio more rependere
Hinc primas volui, quas potui, Tibi
Fruges ingenii: has accipe Tu Bonus
In Signum obſequii mei.

I. B. A. E. B. D. F.

Digitized by Google

IN ENCHIRIDION
De Principiis Peripateticis

PRÆFATIO.

AGe, mi Lector, quid expectas? Multilibrem voluminis molem? Faſtidio legentis peperci. Exiguæ lucubrationi ſi non iucundior, ſaltem minus moleſta impenditur meditatio. Præbeo tibi Enchiridion, unciarium opus; paruum quidem, ſed fortè non inutile. Stylus diſplicebit? Philoſophicum ſcito, qualem Cicero conceſſit. Non ignoras illud

Ornari res ipſa negat contenta doceri.

Quid hîc Orationis lepor? Quid ampulloſa verba? Quid phaleræ, & fimbriæ? Hæc omitte laxiori dicendi generi. At nõ texui Syllogiſmos, non torſi Enthimemata. Non ubiq; hæc neceſſaria, & alioquin rationis domeſtico præſtò ſunt. Illud tamen tolerare nequaquam poteris me, etſi inter Philoſophos connumerari patiaris, tanta libertate illuſtrium virorum his tem-

poribus opinionibus adverſari, & illorum placita evertere nitentem. Quæ veterum ſcientia non eſt in Neotericis melior? Quantùm errarunt antiqui, quorum culpam rident novi Phyſiologi? Ne indigneris, Lector: hoc quæritur; hæc ipſa cauſa agitur. Si enim antiquorum nomine PERIPATETICOS vocas, pro his dicere juſtum putavi. Habuerunt & iſti rumorem ſuum, nec ſine laude ſonum. Trahat te non turbæ clamor, ſed rationis veritas. Non nego omnem Neotericis gloriam, ſed tempero. Stat Galaxia pro Galileo, pro Thycone fluidus planetarum Ether, pro Torricellio Barometri uſus, pro Chymicis multa admirabilis artis phœnomena, pro Medicis ſincerior Anatomes hiſtoria. At ſimul cum his Primorum Principiorum ſcientia ARISTOTELI eripietur? Nihil relinquetur Philoſopho ſummo, quo inter alios Principatum ducat? Qua verò ratione eripietur? Num Petri Gaſſendi, Renati des Cartes, Joannis Vanhelmont, Theophraſti Paracelſi? Quid iſti, precor, totq; alii ſeu opinionis, ſeu erroris conſortes in Ariſtotelem attulere, quod Ariſtoteles ipſe non everterit? Reclamant ſua ipſius Acroamatica Magni Alexandri vſq; ad invidiam obl. ctamenta. Cur ergo Ariſtoteli Phyſica indagantes non obſequemur? Cuius doctrina in toto Orbe, ubi Litterarum Maieſtas in throno fuit, cribrata,

li-

V

librataq; eſt duobus annorum millibus: Quem Græcia laudavit, Ægyptus ſuſpexit, Arabia admirata eſt, Roma in triumphis poſuit, Italia amplexa eſt, Gallia in Cathedris collocavit, tota demum Europa meliori ſtudiorum curæ conceſſit. Exoleuerunt hæc, inquis, & toties repetita rancida auribus facta. Itaque hoc prætextu aliqui Ariſtotelem calumniantur, quaſi Veritatis facies ad inſtar Protei in varias convertatur formas: iidemq; negare multo poſt tempore ea, quæ nunc probant, cogerentur, ſi rectè dicerent. Non propter ſcientiam res, ſed gratia rerum ſcientia eſt: hujus enim illæ ſunt cauſæ. Quare ſi eadem nunc rerum natura, quæ olim, & poſtea; una erit philoſophandi ratio, quam eſſe apud Peripateticos ſinceriorem, utilioremq; in iſto Opuſculo (ni fallit opinio) demonſtro. Non creſcit hic liber mille experimentorum ſarcinis, rationem tamen ſenſu admiſſo perſequitur. Errant aliqui, dum Philoſophos magnos ſe putant, cum magnos narratis experientiis codices implent; ex quarum numero ſi demas, quæ nihil ad propoſitum, ingens ſcriptorum moles decreſcet: & quæ ſuperſunt Hiſtoricum Naturę probant, non Philoſophum. Non enim experientia ſcientia eſt; ſed ex experientia naſcitur principium ſcientiæ, & artis, quod præclarè Ariſtoteles docuit in quarto analyticorum libro cap. ultimo.

hic

Digitized by Google

Et in proemio Metaphyſicæ: per experientiam, inquit, ars, & ſcientia hominibus efficitur. Quamobrem cum multa expertus ſis, Philoſophia indiges, quæ quid videris declaret. Hac de cauſa Peripatetici horridiores viſi, quod novas experientias non enarrant. Tolerabilior fortè illorum dolor, quibus moleſta eſt inutilium quæſtiuncularum tractatio. Sed videant hunc eſſe paucorum, non omnium morem. Legant Principem Scholæ: quid non graviter dictum, quid non multo oleo elaboratum audient? Legant illius doctiſſimos Interpretes Alexandrum, Themiſtium, Simplicium, Auerroem, Boetium, Thomam Aquinatem, Joannem Scotum, Joannem Bacconum, Ægidium; quid occurret, quod ſummorum ingeniorum vim non probet, quod intelligentiæ ſinum dulci non impleat pabulo? Non eſt ducum culpa gregarii militis error. Ita præmonitus, Lector, meum Enchiridion evoluito. Damna, ſi vis, non pertæſus emulatione, ſed amore veritatis accenſus. Alterutrum ſuccedere oportet, aut me tibi, aut te mihi cedere. Invidioſum eſt hoc? Vincatur aliquis noſtrum, ſed victoria pro neutro ſtet: vincendi ergo laus ſit Veritatis, in qua, & propter quam philoſophari pulcrum, & decorum eſt. Vale.

IN-

Digitized by Google

Index Librorum, & Capitum.

LIBRI PRIMI.

CAput I. *Propoſitio Operis. pag.* 1
Cap. II. Oſtendit eſſe Generationem. 2
Cap III. In quod quid Generationẽ fieri 4
Cap. IV. Non ſufficere Combinationem. 5
Cap. V. Inſtantiæ ſolvuntur. 6
Cap. VI. Vtrum Omiomeria generationi ſufficiat. 9
Cap. VII. Omiomeriam ſequi, ſi non eſt in quod quid generatio. 10
Cap. VIII. Quodlibet fieri ex quolibet, ſi non eſt generatio. 11
Cap. IX. Colligit ſupradicta. 12
Cap. X. Nec ſecundum quale mutationem ex particulis eſſe. 13
Cap. XI. Prima ratio probans accidentia dari. 15
Cap. XII. Inſtantia ſolvitur. 16
Cap. XIII. Secunda ratio probans accidentia dari. 18
Cap. XIV. Tertia ratio de primis qualit. 19
Cap XV. Quarta ratio de luce. 21
Cap. XVI. Quinta ratio de Diaphano. 23
Cap. XVII. Sexta ratio de qualitatibus occultis. 24
Cap. XVIII. Septima ratio de colorib. 27

Cap.

Cap XIX. *Vltima ratio de Sanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento.* 28
Cap. XX. *Colligit ſupradicta.* 30
Cap. XXI. *De Elementorũ generatione.* 32
Cap. XXII. *Elementa eſſe potentia in mixto non actu.* 34

LIBRI SECUNDI.

Cap. I. *De Principio Materiali. pag.* 37
Cap. II. *Quot modis Principiũ dicatur* 39
Cap. III, *De materia ſecundum alios.* 40
Cap. IV *De minimis corpor b. diſſeritur* 44
Cap. V. *Figuram nihil valere ad naturales effectus.* 46
Cap. VI. *Per ordinem non conſtitui ſubſtantias.* 49
Cap. VII. *Corpora minima non eſſe partes eſſentiales* 50
Cap. VIII. *Non omnia heterogenea, & contigua eſſe.* 52
Cap IX. *Contra principia mechanica fortiùs invehitur.* 53
Cap. X. *Deum non eße, ſi ſunt principia mechanica.* 55
Cap. XI. *Nullam etiam animam concedendam.* 59
Cap. XII. *Sũmum hominis bonum eßet in voluptate ſenſuũ, ut dicebat Epicur.* 61
Cap. XIII. *Nec futuram Naturalem Philoſophiam.* 62

Cap.

Cap. XIV. Mortuorum reſurrectionem nõ fore opus Diuinæ Omnipotentiæ. 64
Cap. XV. Nullam fore Religionem. 65
Ca. XVI. Cõtrariæ rationes proponũtur. 68
Cap. XVII. Reſpondetur ad ſupradicta. 70

LIBRI TERTII.

Cap. I. Primam rerum materiam rectè fuiſſe ab Ariſtotele aſſignatam. 75
Cap. II. Quomodò materia dicatur ens in potentia. 77
Cap. III. Materiã eſſe puram potentiã. 79
Cap. IV. Soluuntur contrariæ rationes. 82.
Cap. V. Materiam non poſſe aliquo ſenſu cognoſci. 83
Cap. VI. Materiam aliquo modo eſſe cognitam, alio etiam incognitam. 86
Cap. VII. Quid ſit apud Ioannem Picum materiã cognoſci per viã numerorũ. 88
Cap. VIII. Soluitur inſtantia. 93
Cap. IX. Materiam ingenerabilem, & incorruptibilem eſſe. 94
Cap. X. De appetitu materiæ ad formas. 96
Cap. XI De nominibus materiæ. 98
Cap. XII. De forma. 100
Cap. XIII. Formam non eſſe rectè aſſignatã ſecundùm mechanica principia. 102
Cap XIV. Quæ cõtrà formã obuciãtur. 104
Cap. XV Reſponſio ad ſupradicta. 106
Cap. XVI. De actu, & potentia diſſeritur, pag 109

Cap XVII. De variis Nominib. formæ 113
Cap XVIII. Ex forma, & materia unum per ſe fieri. 113
Cap. XIX. De Privatione. 115
Cap. XX Anacephaleoſis totius operis. 116
FINIS INDICIS.

D. Io: Hieronymus Zanchius Præpoſitus Generalis Congregationis Somaſcha.

CUm Opus inſcriptum ***Enchiridion de Principiis Peripateticis*** à P. D. Io: Baptiſta Achilli noſtræ Congregationis Sacerdote Profeſſo compoſitum duo ejuſdem Congregationis Theologi, quibus illius examen commiſimus recognoverint, ac in lucem edi poſſe probaverint, tenore præſentium facultatem concedimus, ut typis mandetur, ſi iis ad quos ſpectat, videbitur, ac ſervatis ſervandis. In cuius rei fidem has litteras dedimus, ac noſtro Sigillo munivimus.

In Collegio noſtro Sanctæ Mariæ Salutis die 17. Aprilis Anno 1702. Venetiis.

D. Io: Hieronymus Zanchius Præp. Gen. Congregationis Somaſcha.

Locus ✠ Sigilli.

D. Hieronymus Sertorius à Secretis.

EN-

Digitized by Google

ENCHIRIDION
De Principijs Peripateticis.
LIBER PRIMUS.

CAP. I.
Propoſitio Operis.

SI Principia ſunt particulæ, ut ajunt, non erit, nec generatio, nec corruptio, nec alteratio, nec ullus omninò motus, nec principium, nec cujus gratia exiſtentia, ſint, nec eſſe ea, quæ ſunt: hæc enim impoſſibilia, ſequi erit in ſequentibus dicendum. His autem ſublatis, in quibus ratio ipſius naturæ conſiſtit, & plura alia tolli multò majora oportebit; Deus enim minimè erit, nec anima, nec intellectio aliqua, aut ea, quæ eſt voluntatis operatio.

Digitized by Google

Quamobrem fruſtra coli Deum, qui non eſt, nec ullam eſſe in futurum pœnam, vel præmium. Si hæc ita erunt, alia quærenda philoſophandi ratio, quàm quæ eſt ſecundum antiquiores, quorum de atomis, & inſenſibilibus figuris circumfertur opinio. Hujuſmodi autem erit illa, quę è Lyceo venit authore Ariſtotele Stagirita, & in qua utiliter inſudarunt ſemper Peripatetici. Quià verò omnis inter Philoſophos diſſenſio ex illo eſt nata principio EX NIHILO NIHIL; undè aliqui generationem negarunt, & eam, quæ eſt ſecundum qualitates, mutationem, has ambas generationes dari oſtendendum in primis erit.

CAP. II.

Oſtendit eſſe Generationem.

EAm, quæ eſt de Senſibilibus, tractationem ſenſum dimittere non conuenit, ſed nec rationem ſpernere, ſine qua demonſtratio non eſſet: Verùm utriuſque præ-

Digitized by Google

præſidio inſtructi phyſicas res aggrediamur. Quia autem ea, quæ eſt in ſenſibus, cognitio eam, quæ ab intellectu, natura præcedit; num generatio ſit ex ſenſu videamus. Equidem nemo, niſi ſtupidus ſit, inficiabitur generari quamplura, ut in terra herbas, ac plantas, in aquis piſces omnis generis, & rurſum ex animalibus ſimilia in ſpecie parentibus fieri. Et hæc quidem oriri, cum prius non eſſent, alioquin nihil futurum, nihilve præteritum, quia eſſent ſemper, quæ per accidens ſunt; cum tamen ſolius entis primi natura ſit ſemper eſſe, cum ipſum ſolum, à quo cuncta, à nullo dependeat. Itaque pauci veterum hanc mutationem negarunt, qualem eſſe ſenſus exhibent, illique fuere, qui unum ens omninò eſſe exiſtimarunt, ut Parmenides, & Meliſſus: malè enim illud EX NIHILO NIHIL interpretati timuerunt aliquid ex nihilo fieri, ſi ulla in ſenſibilibus mutatio concederetur. At Leucippus, & Democritus, ac ſimiliter Empedocles meliùs his in hoc philoſophantes, ac magis etiam phyſicè ob id quidem, quod ex

nihilo fieri nihil arbitrabantur decepti eam, quæ eſt in quod quid mutationem ſuſtulerunt, non tamen omnem prorsùs. Quarè, & hi, & novi etiam Phyſiologi mutari quamplura non diffitentur; eſſe verò ſecundum ſubſtantiam generationem, ut illi, inconveniens opinantur.

CAP. III.

In ipſo quod quid Generationem fieri.

GEnerationem ergo in ipſo quod quid fieri, ſeu ut dicitur, ſecundùm ſubſtantiam, oſtendere aggrediamur alio ſumpto principio, quod eſt ratio, ſenſu non dimiſſo. Duos autem modos, qui habent alicujus probabilitatis ſignũ, attulere; nam tertius, qui eſſet particulas extrinſecùs accedere ad generationem, confutatione non eſt dignus: Vndè enim venient particulæ geniti, & quò abibunt corrupti? Igitur dixere aliqui generari aliquid, mutato eo, qui erat priùs in par-

Digitized by Google

particulis, ordine, & harmonia, ceù ex litteris multis ſecundùm parvas quaſdam ſpecies componitur Homeri Ilias, & Odyſſea; variæ rurſum orationes, tam Metricæ, quàm ſolutæ. Alij verò addidere multas in-poris corrupti latuiſſe particulas, quæ in nova generatione prodeuntes illas, quæ priùs apparebant, occludunt. Neuter quidem, ex his mo-ſufficienter ad ſenſum dicit, nec ad rationem, ut conſtat; ſi, quæ adverſentur, attendamus.

CAP. IV.

Non ſufficere Combinationem.

Aiunt ſimilitudinem habere naturalia compoſita cum artefactis; undè ſic illa, ut hæc generari exiſtimant. At ſimilitudo quænam erit inter ea, quæ multum differunt? Nam quià ars facit ex marmore hominis ſtatuam; num erit homo ſtatua; quià figuram hominis habet? Similitudo ergò erit in uno plurium, quæ ſunt in ipſo na-

turali ente, non in omnibus, quæ in illo ſunt. Alioquin parvas ſimilitudines videremus, & non magnas differentias, ut contigiſſe Pythagoricis memorat Ariſtoteles. Quare non ſequitur, ſi ars mutat ordine ſolùm variato, quod etiam naturæ labor nihil ampliùs operetur. Namque ars faciet ex caracteribus Iliadem tantùm combinatione variata; at non ſic faciet aureos, ſi prius plumbei erant. Quod ſi natura nihil ampliùs facit, quàm componentium partium ordinem mutare, & ſitum, quid impediet, ne hoc etiàm arte fiat? Cur autem fuſo plumbo, aut auro; hiſque agitatis ſuſque, deque ſubſtantia eadem manet? Eam quidem mutari oporteret, ſi prior ordo non eſt.

CAP. V.

Inſtantiæ ſolvuntur.

AT dicet quiſpiam non ſequi hoc manente eo, quem poſuit natura, ordine. Hæc perinde afferuntur, ac ſi quis putaret

à pe-

Digitized by Google

à pejore artifice ſolvi nō poſſe opus, quod melior effecit; quod non eſt ita. Nam ſolvere præclariſſima artis opera omnes poſſunt, non autem ſoluta reſtituere. Sit ergò naturæ ars melior humana: poterit hæc, quod illa fecit deſtruere; & faceret, quandoquidem volunt mutari res ſolùm combinatione variata. Et eò magis hoc eſt illis concedendum exiſtimantibus ſimiliter operari naturam, & artem. Alius verò ſolvi tunc putat ordinem aliquem, ſed nòn omnem. Componentium enim partium duo genera diſtinguunt quidam: nimirum compoſitarum, quas concretiones ex atomis diceret Epicurus, at parvas moles Neoterici vocant. Alterum ſimplicium, quæ ſunt ipſæ omnino atomi, & particulæ ſcorſim imaginatione ſumptæ. His ergò ità ſe habentibus dicunt plures ſolui in ea, quæ fit, metali fuſione parvarum molium ordinem, ſed non ſimplicium particularum. Verùm talia dicenti aduerſantur multa. Cur enim non ſolvuntur quoque parvæ moles? Etenim calor idem, idem etiam locus omnium, eadem totius, & par-

tium ſubſtantia. Rurſus quælibet in fuſo metalo pars fluida, liquataque eſt ſeù magna, ſeù parva, ſivè etiam minima; ſi rei experientiæ ſtamus: Quod ſi imaginatione ludimus, non eſt hoc philoſophari. Amplius id eſſe profectò impoſſibile demonſtratur, ſi ſibi eſſe conſtantes volunt. Ajunt enim ſimilia eſſe artefactis naturalia: cum ergo illa ſui ipſorum partium ordine variato, ſeù magnarum partium, ſeù minimarum diſgregatio facta ſit, intereant; ſimiliter naturalia perire oporteret, ſivè parvarum molium ordo ſolvatur, ſivè inſenſibilium atomorum. Horologij quidem natura non manet, ſeù illa, quam poſuit ars, compago interimatur; ſeù limæ aſperitate in tenuiſſima fragmenta conteratur, vel etiam igne poſitum liqueſcere ſinamus. Quippe tunc, nec tempus diſtinguit, nec horas pulſat. Igitur eodem planè modo de naturalibus diceremus, quod cum non eveniat, non eſſe hoc modo explicatam generationem quantùm oportet, exiſtimabimus.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VI.

Utrum Omiomeria generationi ſufficiat.

ITaque venire illam aliquis putabit, quàm Anaxagoras induxit, Omiomeriam. Si enim varia ſumpta combinatione particulæ diverſum quod quid non faciunt, non eædem forſan particulæ erunt in genito, quæ corrupto inexiſtebant. Hoc namque Anaxagoras putabat, ut cũ ex ligno factus eſt ignis, abſcondi quidem particulas ligni, illas autem ignis revelari. Vnde infinita minima in qualibet finita ſubſtantia admittebat, quia nihil in potentia eſſe arbitrabatur; videbatur enim ipſi impoſſibile aliquid ex eo, quod non eſt, fieri. Quæ & ab his, qui generationem ſimiliter explicant, concedenda ſunt; & illud, quod conſequenter Anaxagoras docebat fieri quodlibet ex quolibet. Hæc autem eſſe impoſſibilia ex confeſſione etiam illorum, quibuſcum eſt

diſputatio, manifeſtum eſt, nec enim equum ex Leone naſci ajunt, aut hominem ex planta: Omninò autem ſequi talia, ſi non eſt, ut diximus, ſecundùm congregationem, & ordinem generatio, nec in ipſo quod quid oſtendemus.

CAP. VII.

Omiomeriam ſequi, ſi non eſt in quod quid generatio.

NAm ſi accipiamus primò tantam terræ portionem, & tantam ſimiliter aquæ, nemo negabit ex his germen proditurum impoſito ſemine. Nec ſolùm hoc, vel illud ex ſemine procreabitur germen, ſed quodlibet cujuſvis ſpeciei ſemine accepto. Sunt autem germina omnia ſecundum quidem ſpeciem plura, numero verò infinita (nec enim hic de exiſtentibus tantùm, ſed etiam de poſſibilibus loquimur) erit ergò Omiomeria, ſi eſt per exitum particularum à poris generatio. Neque enim infinitorum

ger-

Digitized by Google

germinum particulæ finitæ, ſed infinitæ; nec potentia, ſed actu (nam ſecundùm potentiam eſt illa, quæ in quod quid dicitur generatio) hoc autem quid ſi non eſt Anaxagoræ Omiomeria? hanc quippe conceſſit, quià nihil eorum, quæ generantur, ex eo, quod non eſt, fieri arbitrabatur.

CAP. VIII.

Quodlibet fieri ex quolibet, ſi non eſt generatio.

ITaque cum ex dictis manifeſtum ſit Omiomeriam concedendam, ſi non eſt qualis dicitur ſecundum ſubſtantiam generatio; nihil impediet quò minus fiat quodlibet ex quolibet; ut ex terra carnem, ex cane leonem. Nam ſi erant actu particulæ in terra infinitæ, quia nihil de potentia educitur, ut nuper dicebatur; igitur erit in terra leo, & canis actu, quia ex terræ frugibus animalia nutriuntur. Quamobrem, ut in terra germinum particulæ, & in-

Digitized by Google

germinibus carnis, oſſis, & cæterarum partium particulæ erunt: tantoque magis hoc ſequitur impoſſibile, ſi ad combinationem regrediamur. Nam ſecundùm hanc omnibus eadem materia, ac ſubſtantia, ineſt ſolo ordine variato. Igitur ex uno omnia, & illo non ut efficiente, (hoc enim de facto) ſed ut materia; ac proindè ex aqua aurum, caro, ignis, & cuncta, mutata ſolùm componentium textura, ac ordine.

CAP. IX.

Colligit ſupradicta.

VErùm Omiomeriam eſſe impoſſibilem nemo ignorat. Infinitum enim ſimpliciter eſſe poſſibile non negarunt aliqui, at infinitum eſſe finitum, aut contrà, nemo credit; ſic enim uni contrariorum alterum ineſſet quod fieri nequit. Finita quidem ſubſtantia eſſet, quià in finito, & ad finitum eſt generatio; infinita autem, quià ſine termino haberet latentes particu-

Digitized by Google

culas: quæ licèt minimæ, corpora tamen ſunt, ergò locum proportionatum illarum parvitati implebunt. Quarè ſicut minima corpora infinita, ita minima infinita loca: hoc autem quomodò, ſi, quod continet, finitum? Nec inconveniens fugiet quiſpiam dicendo particulas penetrari; quià non eſt ſecundum naturam penetratio. Igitur non eſt per Omiomeriam generatio, nec ullo modo ſecundùm particulas: idcircò generationem in ipſo quod quid fateri tandem oportebit.

CAP. X.

Nec ſecundùm quale mutationem ex particulis eſſe.

Altera nunc dubitatio proponitur de ea, quæ eſt in qualitate, generatione. Vt enim Peripatetici ipſum ens dividunt in id, quod per ſe eſt, & ſecundùm accidens; ſic aliam dicunt eſſe mutationem, quæ in ente per ſe fit, aliam in accidente. At accidentia, in-

inficiantur omnes, qui pro princi-pijs particulas ſumunt, quod quidem cohærenter dicitur ad illud, quod poſitum fuit, impoſſibile. Operæ ergò pretium eſt de accidentibus exordiri ſermonem, & quadantenus ratione conſequi poſſumus non omiſſo ſenſu illorum exiſtentiam declarare. Diviſio autem nota accidentis in illud, quod proprium dicitur, & in cõmune: à qua partitione non abhorrent illi, qui extra Ariſtotelis ſcholam philoſophantur, ut Platonici. Propria autem accidentia ſunt affectiones, paſſioneſve ſubſtantiæ inhærentes ut color, ſapor, odor panis propria talis ſubſtantiæ accidentia appellantur. Communia verò accidentia ſunt, quæ adeſſe, & abeſſe poſſunt, ſubiectis, in quibus exiſtunt, non corruptis; ut moveri, quieſcere, vigilare, & alia hujus generis. De his facilior tractatio, ſed minus utilis; de illis ut difficilior, ſic utilior defenſio.

CAP.

CAP. XI.

Prima ratio probans accidentia eſſe.

SI ergò ſunt formæ, quarum eſſe eſt inhærere alteri dabitur illa, quæ eſt ſecundùm accidens generatio. Hanc autem, quàm ſit conveniens admittere illas verè eſſe probemus. Et quidem de ſenſibilibus loquturi ab ipſis ſenſibus exordium facientes dicamus communem eſſe omnium opinionem quinque ſenſus eſſe; hoc autem minimè verum eſſet, ſi nulla eſſent accidentia. Nam quoniam diſtincta organa diſtinctæ erunt functiones, quod ſi hæ diſtinctæ, & obiecta: ad hæc enim illæ ordinantur. Quare & accidentia diſtinguuntur, quippe hæc ſint ſenſuum obiecta. Non enim id, quod percipit in pane viſus, cognoſcit & guſtus; nec quod tactus idem quod olfactus, ſed aliud, & aliud. Nec aliquis verè dicet, quod eſt in pane colorem, hoc, & odorem, ac ſaporem eſſe. Hæc ergò diverſa, & non ſubſtantiæ,

tiæ, alioquin cur unus non cognoſcit omnia ſenſus? Igitur accidentia ſunt.

CAP. XII.

Inſtantia ſolvitur.

VErùm hæc non proindè diſtingui aliquis putabit, quia in diverſis efficiunt potentijs paſſiones; ſed apparere diſtincta, quià varia eſt organorum diſpoſitio. Sed hoc dictu impoſſibile, ſi ad veritatem, non ad contentionem loquimur. Non enim ſenſibilia varia, quia variȩ ſunt in ſenſibus diſpoſitiones; ſed variæ diſpoſitiones, quia ſenſibilia varia. Alioquin natura temerè quinque ſenſus dedit: poterant enim plures fieri; vel aliquis ex his auferri. Verum opus naturæ opus intelligentiæ propter finem operantis, quare totidem organa, quià tot ſenſitivorum fines. Ampliùs ſi non ſunt ſenſibilia diſtincta, ſed tamen apparent ob illam, quæ eſt in ſenſitivis organis differentiam,

opor-

Digitized by Google

oportebit in eodem planè ſenſu infinitas propemodum diſpoſitiones admittere. Nam album, & nigrum, & eos, qui mediant colores, uno ne organo diſcernimus, an pluribus? Si pluribus, infiniti viſus, quià infiniti colores. Si uno; quomodo? Nam ſenſibilia varia ſunt album, & nigrum, mediaque inter hæc. Idem quidem viſus eſt, dicet aliquis, ſed non eadem in omnibus combinatio. Nec enim idem eſt album, & nigrum; ſed illud quidem album, hoc verò nigrum, quià alia eſt nigri, alia albi ſymetria. Si ità eſt, igitur variata ſecundum locum (nam hæc ſola apud Neotericos ſupereſt mutatio) particularum combinatione, qua lac exiſtit, albedo ipſius perimeretur. Hoc autem non ſequitur. Quare dicendum album, nigrum ac cæteros colores diverſa eſſe ſenſibilia, ſed quæ ab eodem cognoſcuntur ſenſu. Non ergo differentia ſenſibilium à differentia ſumitur organorum, ſed è converſò res ſe ſe habet.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XIII.

Secunda ratio probans accidentia dari.

REvertentes ergo ad priora rurſus dicimus, quod ſi idẽ eſt ſubſtantiam eſſe, & eſſe quantum, vel qua e impoſſibilia ſequuntur. Nam ſi hoc eſt eſſe lacti, quod eſt quale, vel quantũ erit idem eſſe lacti, & ceruſſę; utriq; enim albedo ineſt, ac quantitas. Amplius cur lac eſt album? quià in particulis multa lucis reflexio (ſic enim philoſophantur de coloribus) taleſque anguli fiunt. Itaque in omnibus albis lucem eodem reflecti modo oportebit; eædem ergò in omnibus particulæ, ac figuræ, eademque combinatio: igitur, & ſubſtantia erit eadem lactis, ceruſſæ, & cujuſvis albi. Dices fortè ita comparari in eodem eſſe, & album, ut in homine animal, & rationale: quare non ſequi omne, quod eſt album, lac eſſe, quià, nec omne quod animal, eſt homo. Verùm

rum per hæc inconveniens non evitatur: nam ſi ità eſt, erit eſſe, ut animal cōmune; album autem ut rationale differentia: quare ſicut id eſt homo, in quo animal ac rationale; ità id lac erit, in quo eſſe, & album. Igitur *eſſe alterum eſt albo, & ei cui ineſt*.1.Phiſ.tex.25. *Et longitudo, latitudo, & profunditas quantitates quædam, ſed non ſubſtantiæ ſunt: quantitas enim non eſt ſubſtantia, ſed magis cui hæc ipſa primò inſunt, illud eſt ſubſtantia*. 7. Metaph. tex. 8.

CAP. XIV.

Tertia ratio de primis qualitatibus.

PRimarum etiàm qualitatum eſſentia per particulas abſurdè explicatur. Nam vndè calidum, & frigidum; humidum, & ſiccum ſi non per qualitates? ſi enim ſunt per minimorum contextum hæc, permutato ordine, ſitum etiàm varium acciperent figuræ, & locum; quarè non manerent ea, quæ erant, quod tamen non evenit. Nam aqua quam-

quantumvis agitata ſemper frigida eſt. At ſi ignis accedat, incaleſcit: quarè? quià ingrediuntur particulæ ignis? Quomodò hoc, ſi aqua extingui ignem videmus? Quà deindè pertranſibunt particulæ, ſi craſſum valdè ſit continens? Per poros, non certè quià & aqua per ipſos deflueret, ni fortè ponantur particulæ ignis aqua ſubtiliores, quod experientia non conſtat. Ampliùs cur particulę ignis calefaciunt, & non cæterorum Elementorum? ajunt, quià habent illæ acutos angulos. At omnia Elementa angulos habent, & ſolùm differunt, quià hi magis, hi minus acuti: quamobrem omnia calefacerent; ſed hoc quidem magis, illud verò minus. Quantum autem ſit veritati contrarius hic ſermo, videri poteſt, quod figura nulla calefacere apta eſt, ſed vel ad dividendum, vel ad continendum, vel ad impellendum, vel ad aliquid hujuſmodi, aut ſecundum locum, aut motum figura juvat. Nam quià acuta ſecuris dividit, malleus quia planus pellit; & vas continet, quià concavum. At non ſunt hæ paſſiones idem, quod calefactio,

&

Digitized by Google

& frigefactio. Non enim calefit aliquid, quia ſectionem, aut pulſionem patiatur, ſed quia fit alterum à frigoris habitu. Humida ſimiliter, & ſicca non in particulis ſunt, ſed in qualitatibus. Nam id eſt humidum, ut dicunt, quod non cohærentes particulas habet; ſiccum verò è contrà, in quo implicantur unciuli; cum omnia humida fluida ſint, inerunt omnibus non cohærentes particulæ, & ejuſdem figuræ; ergò & omnia ſubſtantiæ ejuſdem, quæcumque fluida ſunt, ut aqua, vinum, oleum, lac, & cætera hujuſmodi.

CAP. XV.

Quarta ratio de luce.

ILli, qui putant nulla accidentia eſſe lucem quoque ajunt per minimorum effluuia diffundi; quæ poſitio multa ſecum involuit impoſſibilia. Nam & in eodem eſſent loco duo corpora, & in inſtanti longiſſima ſpatia pertranſiret, ut illud, quod eſt per totum Emiſphærium,

cum

cum ſuprà punctum orientis elevatus eſt Sol. Servarentur etiam lucis particulæ clauſo conclavi, ut aer incluſus in eo remanet. Quo enim diffugiunt factis tenebris, quæ intrà erant particulæ, cum foras omnia plena ſint luce? Et quare abeunt? Quæ cauſa revocat, aut expellit? Flantibus etiam ventis agitarentur hac, illac, ut pulvis; eaſque Boreas omnes ad Auſtrum cogeret oppoſito Emiſphærio manente obſcuro. Amplius, ſi corpus lux eſſet, cur in Barometris ſuſpenſus ſtaret Mercurius? Deſcendere totum opporteret magis, quià unico in tubo facto foramine per quod corpus aeris ingredi poſſit, metalum præceps ruit: hoc ergò ſimiliter fieret, ſi lux eſſet corpus, quià intra tubum lumen videmus. Alterum quoque in Termometris inconveniens accideret. Particulæ enim lucis intrantes meatus vitri humorem, qui intrà continetur augerent: idcircò non ſolum in æſtu elevaretur liquor, ſed etiam hyeme poſito ad lucem inſtrumento.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XVI.

Quinta ratio de Diaphano.

AMplius cur hæc diaphana ſunt, illa autem opaca, ſi non per qualitates? Dicere enim aliqua corpora eſſe tranſparentia propter poros eſt utique contrà experientiam, ac ſenſum. Si enim ſic eſt diaphanum, nullibi erit ſubſtantia diaphani, quia ubique diaphanum, ac proindè vbique pori: nec alioquin ubi pori ſunt, ibi eſt diaphani ſubſtantia. Atque ita major Univerſi pars vacua eſſet, quia inter terram, & ſtellas magnnm interponitur diaphanum; quod ſi per poros tale eſt, erunt in omnibus partibus meatus vacui: ſi autem omnia ſunt pori, quid tàm magni diaphani remanebit? Igitur eſſet vacuum ubi plenum, & corpus non eſſet ubi eſt, quod eſt impoſſibile. Pręter quamquod continvari poros indirectum à terra uſque ad Cęlum eſt profectò impoſſibile, quando ſcilicet agitatur ventis aer:

aer: ideò non viderentur ſemper ſtellæ ſerena noĉte, quod non evenit. ſunt, etiàm quædam flumina, quæ in undis non ferunt arenam, & ideò tranſparentia ſunt. Quomodò autem inhærentia fundo videbimus, & intra natantes piſces? per poros? non eſt conveniens, quià continuè fluente aqua, aliaſque alijs pellentibus undis intorquerentur pori, viſuſque, quò minus ea videret, quæ videt impediretur.

CAP. XVII.

Sexta ratio de qualitatibus occultis.

PRættereà nunc de illis qualitatibus dicere aggrediamur quas Peripatetici occultas dicunt. Nec enim Philoſophus aliquis deſinet eſſe, quia plura ignorat, quàm ſcit; nam ſi omnia ſibi comperta haberet, non equidem Philoſophus, ſed Deus eſſet. Solus enim omnium conditor Deus ſcit quid, & qualia ſint ea, quæ ſunt; illique ſciunt,

qui

Digitized by Google

qui ejus gratia adiuti in gloriam ejus ſunt translati, ubi vident omnia videntem, & in lumine ejus, quæ videt, & creat Bonus ipſe, vident & cognoſcunt facti boni ab ipſo, qui à ſe eſt ſimpliciter bonus, ac ſapiens, potens, & omninò perfectus. Ipſi ergò nihil ignotum, nobis verò pauca ſunt cognita, infinitaque ignoramus. Superbit ergò nimis, & excedit hominis menſuram, qui de omnibus, quæ ſunt, rationem reddere exiſtimat, cum Divina eloquia contrà reclament. Quare *de omnibus enunciare, & prætermittere nihil* (inquit Ariſtoteles 2. de Cœl. tex. 34.) *videbitur utique eſſe ſignum, aut multæ dementiæ, aut multæ promptitudinis*. At illos, qui nobis aduerſam Philoſophiam ſequuntur, hanc culpam minimè vereri apparet, quià etiam occultas cauſas in apertum proferre ſe exiſtimant. Proindè aſſerunt magnetem, v. g. ferrum trahere per effluuia atomorum; ſimiliter à ſuccino, & adamante trahi paleas. Hac autem poſitione neſcio an aliquid abſurdius dici queat. Nam quomodò effluuia exeunt, & redeunt? Quæ cauſa mo-

vet? Hæc non demonſtratur. Non enim rectè faciunt hi, qui ad imaginationem confugientes principium motus ponunt, aut in ſubtiliſſimo æthere, aut in Archeo magico, aut in Idea architectonica, ut poſteà oſtendetur. Rurſus cur continuis effluuijs non conſumuntur illa corpora? Nam magnes patitur ſenium, virtutemque amittit non pondus. Cur verò particulæ trahunt talia corpora, non alia? Facilius enim poſsent in ſtuppa, vel lino implicari, ſi ſunt uncinatæ ut ajunt, & oportet, ſi figuris trahunt. Fit ergò ex his manifeſtum, quod eſt longè melius propriam, communemq; ignorantiam de his fateri, quàm ità frivole philoſophari. Re enim ipſa veri erimus philoſophi, ſi multa nos ignorare ſciemus; & in pluribus magis humiliter Dei noſtri ſapientiam admirabimur, quàm ſi ejus opera ſtultè comprehendere præſumamus.

Digitized by Google

CAP. XVIII.

Septima ratio de coloribus.

ABſurdè quoque colorum natura per mechanica principia explicatur. Non enim retracto, reflexoque lumine in particulis, fit verus color, etiamſi apparens ferè eo modo intelligatur. Nam in reflexione omni angulos fieri neceſſe eſt; à luminoſo enim radius venit, qui à colorato terminatus ad videntis oculum reflectitur. Si ergo videns modo ad luminoſum accedat ſecundum circuli ſegmentum, modò recedat, colorato manente immobili, ut centro, angulos variari oportebit, utpotè ad diverſa non poſſint ijdem anguli protrahi puncta; quare, & variabitur color, ſi in lucis reflexione conſiſtit. Quemadmodum de coloribus apparentibus dicunt Peripatetici ex lucis reflexione, refractioneve eos progigni, & proindè nō manere eoſdem ad diverſos ſitus. Undè Iris nec ab his,

qui eſſent in nube, nec ab his, qui ad alterum extremorum ſunt, vel ad oppoſitam partem cernitur propterea, quia non ad omnia puncta anguli, ex quibus Iridis colores reſultant. Dicere autem in omnibus coloratis ſimiliter contingere eſt contra experientiam: nam lac undevis reſpexeris videbis album. Itaque ſunt quidem colores aliqui ex lucis reflexione, non omnes; ſed etiam aliqui dicuntur meritò qualitates, non illæ primæ elementorum, ſed ex illis ortæ. Quemadmodum mixti ſubſtantia non eſt eadem, ac elementorum, ſed ex illis nata, diverſaque, undè proprias gerit qualitates.

CAP. XIX.

Ultima ratio de Sanctiſſimo Eucbariſtiæ Sacramento.

HÆc quidem ſecundùm naturam philoſophantes attulimus pro accidentium exiſtentia; quodſi humana dimiſſa ratione divina attingamus adhuc cer-

certiùs eadem veritas ſuadebitur. Quid enim virtutes illæ, quæ infuſæ dicuntur, ſi non qualitates? Quid lumen beatæ viſionis? Quid gratia? num ponemus, quod planè eſſet ridiculum, incorporeas atomos? Rurſus quid illa, quid quæ in Euchariſtico remanent pane, ſi non accidentia? Subſtantia enim amplius non eſt; ſolæ panis, vinique ſpecies remanent. Sed contentioſi homines quomodò in voce vim facerent excogitarunt, cum in re ſe devictos agnoſcerent. Itaque ajunt manere ſpecies, non accidentia; ſic enim determinatum fuit. Verùm ſubdola vocis extorſio, non legitima interpretatio. Dixerunt Patres manere ſpecies; tu, non illi, addis; ergo non accidentia. Dixiſſes meliùs: manent ſpecies, ergo & accidentia. Quis enim Patrum te docuit non idem hæc nomina ſignificare? Nam dicas tandem, ſi non id ipſum ſignificat ſpecies, quod accidentia, cujus ergo rei ſpecies eſt ſignum? An nullius? Ergò nugantur Patres. Si cujuſdam; quæ? Subſtantia? non, quià hæc convertitur. Igitur accidentium. Ajunt

Digitized by Google

ſpecies pro apparentijs ſumi. Itaque mendaces faciunt Patres, qui Angelorum Panem Sacramentum veritatis vocarunt. Falluntur ergo dum in hoc Sacramento Deum uti apparentijs exiſtimant, quià aliquandò eas divinæ litteræ commemorant. Verùm inconſiderata argumentatio: non enim tunc Sacramenta inſtituta; hic autem ſic. Sunt enim iſta ſenſibilia ſigna inviſibilis gratiæ. Si ergò ſenſibilia, verè ſunt, & non apparent: ſi hoc apparere vocas, ut propriè uſurpari hoc verbum ſolet, pro videri eſſe, quod non eſt.

CAP. XX.

Colligit ſupradicta.

HActenus accidentium diſcepatio proceſſit, quorum exiſtentiam iam liquet eſſe ratione probatam, non imaginatione confictam. Redeant ergo poſtliminio in caſtra veritatis Neoterici, dum eos vocat tam perſpicua ratio, tot doctiſſimorum hominum cætus, Phi-

Digitized by Google

Philoſophiæ majeſtas, ac dignitas; tandem Deus ipſe, qui inter divina conſilia poſuit illud Eccli.4. *Non contradicas verbo veritatis ullo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere.* Veniam merebitur culpa, ſi prætextus aliorum calliditatis cauſam lapſus afferat; tunc damnanda,& ſeverioribus pęnis expianda, ſi corrigi ſe non patiatur. Cur enim teneros adoleſcentum animos errorum doctrina torquebit in pejus? Falſæ opiniones multorum, magnorumque malorum cauſæ,ut Plato docuit. Num parva ſunt,quæ toleramus mala, ut nova ingenio noſtro excogitemus? Teneat ergò in animis noſtris imperium omnium bonorum Regina Veritas, quæ Deus, & ex Deo eſt, quem oportet in veritate adorare, ut ſapienter laudemus.

Digitized by Google

CAP. XXI.

De Elementorum agit generatione.

QVare ſi eſt verè in ipſo quod quid generatio, & ſecundum quale; obſtat nihil, quin & elementorum generationem admittamus. De illa autem dico, quæ fit ex corruptione mixti, quod ſolvitur in in ea, ex quibus genitum eſt, elementa. Sunt autem hæc quattuor ſimplicia ignis, aer, terra, & aqua. Porrò hoc nomen *Elementum* multipliciter dicitur. Uno modo de partibus, ex quibus totum eſt integrum, ut litteræ in oratione. Alio modo ut materia, & forma. Verùm materia duplex, una communis, alia propria. Communis eſt primum uniuſcujuſque ſubiectum, ex quo fit aliquid, cum in illo inſit non ſecundùm accidens, & ſi corrumpitur aliquid, in hoc abibit ut in ultimum ſubiectum, quod ſemper manet. Propria autem materia non ſimpli-

ci-

Digitized by Google

citer dicitur, ſed per ad aliquid denominationem. Hujus enim erit materia propria aliquid, non alterius: ut alimentum nutritionis eſt propria materia; & ſemen ipſius viventis propria materia, non cujuslibet viventis quodlibet ſemen, ſed tale eſt propria talis animati corporis materia. Quamobrem propria materia univerſaliter illa dicitur ſubſtantia, ex cujus corruptione hoc tale compoſitum generari poteſt. Simplicia ergo corpora elementa vocantur, non ut partes, ſed ut materia, nec illa communis, ſed propria. Non enim in mixto ſubſtantia ineſt elementi, ſed virtus; ex corruptione enim elementorum generatur mixtum, quia unius corruptio alterius eſt generatio.

Digitized by Google

CAP. XXII.

Elementa eſſe potentia in mixto non actui.

ITaque ne dicamus generationem eſſe congregationem particularum, & earundem diſgregationem corruptionem (quod oſtenſum eſt jam impoſſibile) conſequitur elementa non eſſe actu in mixto, ſed potentia. Præter enim has rationes, & aliæ ſunt. Nam ſi inſunt actu ſimplicia corpora, ut dicunt, in minima diviſa, nihil erit prçter elementa: quare omnia ignis, aer, aqua, & terra. Differentia autem hæc una ſupereſſet, quod hoc quidem majorem terræ partem habebit, illud ignis, iſtud aeris, alterum aquæ. Quare nullæ etiam aliæ paſſiones præter eas, quæ humidi, ſicci, calidi, & frigidi ſunt. Verùm ſi quid ſupra à nobis probatum eſt, oſtenſum fuit alias præter has qualitates dari. Amplius ſi omnia ex elementorum coaleſcunt ſubſtantijs, quomodò ca-

ro non eſſet lignum, aurum non plumbum? In omnibus enim eædem particulæ, eademque ſubſtantia. Inſufficiens autem eſt illa, quam imaginantur, combinatio; quarè non erunt in mixtis elementa. Superaddunt quidam particulis formam mixti, ſed inconſtanter loquuntur. Quam enim formam intelligunt? Num actum ſubſtantialem primę materiæ? Hæc quidem unicè eſt, ſed ſuperfluæ particulæ. Deindè quomodò hanc formam nunc recipiunt, quam toties averſantur? An verò forma apud ipſos eſt combinatio, ut ſola verè eſt, nec aliam agnoſcunt? Sic erit combinationi alia ſuper inhærens combinatio: quod ſi prima non ſufficit, nec ſecunda, & tertia, aut alia quæcumque poneretur. Amplius ſi hoc quidem homogeneum, quod eſt ſimilium partium; illud autem heterogeneum, quod diſſimilium, omnia ex diſſimilibus erunt partibus, ſi ele menta exiſtunt actu, & non ſupererit homogeneum corpus, niſi fortè ipſa ſimplicia; de quibus tamen adhuc difficultas eſſet, cum ſint impura. Ve-

rùm ſunt plura etiam mixta homogenea propriè : aurum enim tale eſt, cum quælibet ejus particula aurum ſit. Igitur elementa dicuntur eſſe in mixtis, quià hæc ex illis tamquam ex propria materia fiunt, manentque in mixtis ſimiles elementorum qualitates, quarum cauſa reſolvi iterum poſſunt in elementa. Et hoc inſuper modo vera, ac propria fit elementorum mixtio, quæ definitur miſcibilium alteratorum unio.

Finis Libri Primi.

Digitized by Google

ENCHIRIDION

De Principijs Peripateticis.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De Principio Materiali.

HActenus generationem utramque eſſe, & quæ ſubſtantiæ, quæque accidentis pro viribus oſtendere ſtuduimus. Nunc ad id, ob quod principaliter hujus operis provincia ſuſcepta eſt differendo pervenimus. De materiali enim principio dubitatio occurrit, quam gravis laboris impendio tractare Philoſophi conſuevere. Namque plurimum refert unum, vel alterum conſtituere principium; idcircò variæ de hoc tum antiquorum, tum recentium Phyſico-

Digitized by Google

rum opiniones exiſtunt. Non abſurdè tamen omnes illorum ſententias in duas veluti claſſes dirimemus. In altera quidem eos ponemus, qui pro principio acceperunt completam ſubſtantiam in minimas partes diviſam, ex quarum partium combinatione, vel diſſolutione fieri, aut interire cuncta ſunt arbitrati; undè generationem in quod quid ſuſtulerunt. In altera è regione veniunt, qui contrariam philoſophandi rationem ſequuti ſecundùm ea, quæ in priori libro dicta à nobis ſunt, primam materiam rerum omnium, quæ corporeæ ſunt, eſſe incompletam ſubſtantiam, ſeù ens in potentia traddidere. Quamobrem quid magis conſentaneè rationi, & ſenſui dici debeat deinceps videbimus. Antequam tamen de re, quæ principij nomine deſignatur, diſputationem exordiamur; nomen ipſum quomodo multipliciter dicatur oſtendendum.

Digitized by Google

CAP. II.

Quot modis Principium dicatur.

ETenim prima occurrit diviſio in principium rei, & in principium cognitionis. Principium cognitionis dicunt immediatas veritates, & per ſe notas: ut illud *non poteſt idem ſimul eſſe, & non eſſe.* De tali principio loquitur Ariſtoteles in analyticis ſyllogiſmi naturam veſtigans, & 4. Metaph. tex. 8. ubi ait: *omnium autem certiſſimum eſt principium, circa quod impoſſibile eſt mentiri*. Principium rei non in voce, nec in cognitione conſideratur, ſed in re, quod rurſum multifariam accipitur. Aut enim eſt principium quantitatis cujuſdam ut aurora diei, & punctum lineæ: aut quod eſt primum in ordine, ut grammatica prior ſcientijs, & ad has ab illa principium, aut cauſa undè motus, ut Architectus principium Domus dicitur. Hoc modò DEVS primum principium verè eſt, *à tali enim principio* (inquit Philoſophus

phus 12. Metaph. tex. 38.) *tum Cœlum, tum natura dependet*; ejuſque diſcipulus Theophraſtus capite primo ſuæ Metaph. dicit. *Divinum ſiquidem principium exiſtit, per quod ſunt, & permanent univerſa*. Vel principium ſumitur pro eo cujus gratia aliquid fit, ut ſanitas, quæ tamen non eſt effectiva, niſi ſecundùm translationem, ut Ariſtoteles dicit primo de gen. tex. 55. Vel demùm principium dicitur de partibus componentibus in quo ſenſu 1. Phyſ. tex. 42. definiuntur principia eſſe *illa, quæ neque ſunt ex alterutris, nec ex aliis, ſed ex his omnia*. Vnum quidem ex his materia dicitur, alterum forma.

CAP. III.

De materia ſecundum alios.

DE Principio ergo materiali opiniones veterum multæ ſunt allatæ. Nam aliqui mutationes omnes inficiantes nihil ſimpliciter fieri arbitrati unum eſſe ens omnia docuerunt, ut Parmeni-

des

des auditor Xenophanis, & Anaximandri: ac Meliſſus Samius. Ab his parùm diſtaſſe viſi ſunt illi, qui ex uno Elemento omnia gigni exiſtimabant, addita ſolùm differentia Rari, & Denſi, ut Thales, qui aquam poſuit; Anaximenes aerem, Heraclitus ignem; ſola terra ex elementis deſtituta patrono; ut Ariſtoteles dicit 1. Metaph. Alij contrà plura principia aſſignarunt, variè tamen prout quiſque ea ſufficere ad generationem putabat. Anaxagoras enim infinita conſtituit non ſimpliciter per immenſum inane diffuſa, ut Democritus, & Epicurus, ſed quod eſt planè impoſſibile in qualibet ſubſtantia finita. Alij propiùs ad veritatem accedentes finita eſſe principia dixere, ſed non eadem omnes. Nam Ænopides Chius ex igne, & aqua omnia componi aſſerebat; Hippon ex aere, & aqua; Empedocles ex quatuor elementis in minima diviſis, quorum congregatione ab amicitia generationem fieri aſſerebat, diſgregatione verò à lite corruptionem. Vndè offis generationem hoc modo deſcribit, cujus carmina latinè

Digitized by Google

nè reddit Hermolaus Barbarus.

Terra tulit ſutes aptè compacta per amplos
Quadrantem creperæ lucis de partibus octo;
Semis Mulcibero datus; oſſa hinc candida facta.

Leucippus, Democritus, & Epicurus omnia componebant ex pleno, & inani; plenum quidem appellabant atomos, inane autem vacuum. At Pythagorici cuncta ex numeris harmonia quadam concinnatis fieri ſentiebant ducti amore Mathematicarum rerum, in quibus primæ ferè dignitatis ſunt numeri. Sed hi minus phyſicè principia aſſignarunt, aut minus propriè. Tropicè enim omnia ex numeris coaleſcere ſi quis dicat, fortè non errabit, quià harmonia quadam rerum qualitates attemperantur. Verùm inutilis, ne dicam erroris offendiculum in Philoſophico ſermone metaphoræ uſus, cum etiam his, quibus licet, metaphora debeat eſſe verecunda. Hæ quidem veterum opiniones, à quibus non diſſentiunt Neoterici, quorum ſinguli alicui ex antiquis adhærent. Soli

li Chymici aliquid novi attuliſſe ſunt viſi, dum materiam ajunt eſſe ſalem, ſulphur, & mercurium. Eſt tamen concors tam veterum, quàm recentiorum ſententia generationem non dari, nec accidentia; præterea cuncta fieri per particularum combinationem, figuram, & ſitum; quas tres differentias litterarum exemplo declarant: ut enim A N differt à N A ordine, N ab A figura, N à Z ſitu; ità exiſtimant ex particulis naturalia corpora progigni. Hujuſmodi autem doctrinis tamquam planè ratione carentibus reſtitit ſemper Ariſtoteles, & cum iſto Peripatetici, qui contrariam philoſophandi viam ingreſſi dixere, quod oportet materiam eſſe *nec quid, nec quale, nec quantum, neque aliud determinatum ens*; ut in ſequentibus patebit.

Digitized by Google

CAP. IV.

De minimis corporibus diſſeritur.

SEd ſi principia ſunt illa, ex quibus omnia fiunt, ut jam determinavimus; hæc autem eſſe corpuſcula pluribus dicentibus dubitabit aliquis meritò, num hæc verè ſint, & qua ratione probata. Et ſi ſunt, quare ſint. Vtrumque enim videtur in Philoſophia eſſe inconveniens, & corpuſcula negare, & hæc tamquam prima principia haberi. Illa enim eſſe fatebimur, ſi rationi auſcultantes intelligamus dividi in minima poſſe elementa, quæ ſunt facilè diviſibilia, ut aqua, aer, ignis. Terra autem, quæ ob ſuam ſiccitatem difficiliùs dividi potuiſſet, naturæ providentia in exiguas partes actu diviſa eſt: eam enim videmus humido deſtitutam eſſe particularum minimarum congeriem, quam pulverem dicimus. Eſt autem hæc diviſio neceſſaria, ſi generationem,

quæ

quæ in ſupernis fit conſideremus. Vndè enim nubes, & in illis geniti ignes; fulmina, cadentes etiam ſtellæ, & cometæ, ſi nullæ ibi eſſent particulæ elementorum non ſolùm aliorum, ſed etiam terræ? Cum ergò ſurſum elementa, quæ habent gravitatem, ferri nequeant, ſi magnæ quantitatis ſint, ſic autem quandò exiguæ molis ſint, ea in parva dividi conſentaneum eſt. Plantæ quoque nutriri elementis minimè poſſent, niſi hæc fuiſſent diviſa prius; radicibus enim vice oris utuntur, undè per anguſtos meatus humorem trahant. Verùm non ob hoc ſolùm diviſa elementa ponimus, ſed quià facilior indè mixtio, & alteratio, & ſubſtantialis mutatio: *Nam parva* (inquit Philoſophus 1. de gen. tex. 89.) *ſecus parva poſita miſcentur magis; faciliùs enim invicem permutantur, & citius*. Hinc & in animali alimentum dentibus attritum, ac diviſum in inteſtina demittitur, ut faciliùs permutetur?

Digitized by Google

CAP. V.

Figuram nihil valere ad naturales effectus.

VErùm ex eo, quod corpuſcula ſint, exiſtimarunt malè aliqui, hæc eſſe principia, ut quæ ſint ſenſibilia magis, quàm illa Ariſtotelis. Hujus verò poſitionis apparentem cauſam quærentes figuram acceperunt. Sunt enim figurata corpuſcula, quià finita; finitum verò, quod habet terminos, & figura terminus eſt. Figuras deindè diverſo habito ſitu, ac ordine eos, qui ſunt actionis, & paſſionis effectus producere ajunt. Nunc ergo videndum an ità ſit, ut dicunt, an hoc ſit planè impoſſibile. Nam ſi figuram eam, quæ eſt calefactionis, frigefactionis, ægritudinis, humeſcentiæ, & ſimilium paſſionem efficeret, quomodò hæc à figura proveniant, demonſtrare oporteret: quod tamen fieri nequit. Figura enim, vel in planis ſumpta, vel in ſolidis multiplex

plex eſt: harum tamen nulla calefacere, aut frigefacere apta eſt: ſed ſi quippiam aliud ſit, quod eſt qualitas, hoc erit caloris, frigoriſque principium. Non enim calefacit ignis, quia angulos habet; alioquin omnes trianguli, & quadrata calida; angulos enim habent: frigidi autem circuli, & ſpheræ, quæ angulis carent. Amplius erit in eodem calor, & frigus: ſi ſumamus enim parvam pyramidem, hæc angulos, & ſuperficies habet: quatuor enim habebit ſuperficies (ſi quadrangula ſit), & quintam quæ eſt baſis. Superficies verò quælibet ab angulis terminatur, & acutiſſimus, qui in cuſpide eſt. Si ergo à figura calor, & frigus, erit parva pyramis calida in angulis, & quidem calidiſſima in acutiſſimo, in minus autem acutis minus calida. Eadem autem in interiectis areis frigida erit, quià nulli ibi ſunt anguli, omnes enim in plano ſunt in directum lineæ. Hoc autem quàm irrationale ſit non oportet demonſtrare; manifeſtum enim duo contraria in eodem eſſe impoſſibile. Alia proceſſit via Ariſtoteles

hanc

Digitized by Google

hanc in antiquis opinionem reprehendens in 3. de Cœlo tex. 72. Omnia enim elementa calefacere poſſent, dicit, quia omnia angulos habent, illa quidem magis, hæc minùs, in quantum majores, aut minores angulos habent; ipſa quoque mathematica calefactiva eſſe oporteret, quæ angulos habent, quod planè ridiculum eſt imaginari, non enim calefacit mente conceptum triangulum. Itaque non rectè philoſophari illos, qui in figuris confidunt, ex his liquet; quorum etiam ratio diſsolvitur facilè. Non enim, ut agant figurata corpuſcula, ſed quia finita figurata. Hanc autem figuram, vel aliam illis ineſse per accidens eſt, cum enim ſic materia fuerit diviſa, ità figurata remanſit. At, inquies, quæ ſunt ſimilium partium, ſimiles habent figuras; omnes enim nitri particulæ ſimiles figura ſunt, ſalis item communis, & aliorum: hoc enim microſcopia oſtenderunt. Sed vide, ne parvas agnoſcas ſimilitudines, magnas autem differentias non videas. Habe tamen quodvis, non proinde agunt figuræ. Omnes enim ho-

homines ſimiles figura ſunt, idque etiam in Leonibus patet, ſed non proindè hominis figura diſcurrit, & illa Leonis rugit.

CAP. VI.

Per ordinem non conſtitui ſubſtantias.

PORRO ut inutilis ad agendum figura, ſic ordo ad conſtituendas ſubſtantias ineptus. Plurimùm enim ordini tribuunt Neoterici, dum eo variato mutari res aſſerunt. Nam ex pane fieri chylum ajunt, ex chylo ſanguinem altera partium combinatione facta. Sed non eſse ità anteà declaravimus. Nec enim in carnem mutatur ſanguis, quià partium locus mutatur, alioquin etiam extrà nutritionis potentiam ex pane ſanguinem fieri contingeret partium diſpoſitione variata. Cauſa erroris fuit, quod artis opera ordine conſtare viderunt, & non humana ſolum, ſed & divina ceu viventium ſtructura, ac Univerſi

diſpoſitio; Undè ſubſtantiam rerum ordini tribuerunt, perindè ac idem eſset ordinatum, & ſubſtantia. Sic quidem multa Pythagoreorum opinioni acceſſio fieret, nam ſi ordo eſt ſubſtantiale eſse, & numerus, quià ad convertentiam ſunt hęc: ubi enim ordo, numerus quoque, & è contrà.

CAP. VII.

Corpora minima non eſſe partes eſſentiales.

SI quidem particulæ principia ſunt, partes eſsent eſsentiales: illæ namque ſolæ rerum principia. Sunt verò eſsentiales illæ, ex quibus uniuſcujuſque eſsentia componitur; undè altera ablata non manet, quod prius erat, ſubſtantiæ. Materia enim domus, aut figura, quæ eſt ejus forma, ablatis, domus non eſt. Eſt autem ſimile in naturalibus, ut enim ad accidentale eſse forma eſt accidentalis, ità ad ſubſtantiale ſubſtantialis. Porrò integrales partes

tès illas eſſe dicemus, quibus integrum, & ſecundum quantitatem totum eſt; undè illarum aliqua ſeparata eſſe quidem ſubſtantiæ manet, ſed integritas perit. Cujus ergò generis particulæ erunt? eſſentialis nequaquam: ſi enim ab auro una, vel altera, vel plures auferantur particulæ, non perit auri eſſentia, ſed ſolum quãtitas minuitur. Præter quam quod diſtinguerentur ſpecie illa, in quibus non eſt idem particularum numerus, quod non eſt ità, ex numero enim magnum, vel parvum, non aureum, vel plumbeum eſt. Quarè particulæ, ſi componerent, integrales eſſent partes, ut in domo lateres; indeterminata ergò illa de principijs contentio eſſet, etiam ſi ea, quæ volunt Neoterici, concederemus.

Digitized by Google

CAP. VIII.

Non omnia heterogenea, & contigua eſſe.

CUm homogeneum dicatur, quod ſimilium eſt partium, heterogeneum quod diſſimilium; omnia dicunt heterogenea eſſe, quia non in omnibus figuræ eædem. Sed quam rationi, & ſenſui repugnantia, qui hæc dicunt, loquantur, indè patet, quod niſi prorſus exoculati negarent, multa ſunt ſimilium partium corpora: ejuſdem enim naturæ totum aurum, & ſingulæ illius particulæ. Ratio verò illorum, qua ad ità aſſerendum permoti ſunt, planè levis eſt: Si enim ex ære circulus, & triangulum fiat, non erit magis æs circulus, quàm triangulum, aut contrà, ſed in utroque ſubſtantia eadem. Continua quoque eſſe ſingula naturalia corpora indè patet, quod partes ipſorum antè diviſionem non habent diſtincta extrema; ſed una eſt totius, ac partium quantitas.

Digitized by Google

CAP. IX.

Contra principia mechanica fortiùs invehitur.

EX his, quæ hactenus à nobis dicta ſunt poſſet quiſquis rationabili criterio ſententiam veritatis pro Ariſtotelis Philoſophia deferre: quantùm enim incohærentia ſint ſenſui, ac rationi naturalis ſcientiæ mechanica principia ex ſupradictis eſt manifeſtum. Quaſi tamen parùm valeant hactenus dicta, ab altiori exordientes principio novum argumentationis ordinem texemus. Ille autem modus capietur, quo ad impoſſibilia deducantur quicùmque contraria Peripateticis aſſerere tentarunt. Et primò quidem illa hic adduci poſſent, quæ in priori hujus diſputationis parte oſtenſa ſunt, ut generationem non eſſe, accidentia, & cæteras qualitates. Non enim hæc deſinunt impoſſibilia eſſe, quia ultrò illa plures concedunt; ſicut non proinde dubitandum, an nix

Digitized by Google

ſit alba, quia Anaxagoras negavit. Illud etiam præoccupare deberemus, quod Ariſtoteles 11. Metaph. tex. 4. dicit: *opinionibus enim, & imaginationibus eorum, qui ſibi ex adverſo addubitant attendere ſtolidum eſt*. Igitur ſi prima rectè ſunt probata, & illud conſequitur impoſſibilia eſſe mechanica principia. His tamen prætermiſſis ſecundum ea, quæ ſunt cōmuniter conceſſa, differemus. Eos autem alloquor Phyſicos, qui ſimul cum nomine fidem Chriſti IESV corde, & ore profitentur. Apud hos enim impoſſibile, (ut profectò eſt) Deum non eſſe, nec animam rationalem, nec alia hujus generis, quæ divina revelatio edocuit. Verùm hæc impoſſibilia ſequi ex mechanicis principijs ejà demonſtremus.

CAP.

Digitized by Google

CAP. X.

Deum non eſſe, ſi ſunt principia mechanica.

PUlchrum eſt philoſophari, quia à cauſis ſecundis per viam naturalis rationis primæ cauſæ notitiam nanciſcimur. Talis enim Philoſophia eſt, & ſi ab hoc fine aberret inutilis, ac tanto nomine indigna. Porrò quod hujuſmodi ſit ſecundùm mechanica principia Philoſophia, proprio nimirum hujus ſcientiæ fine fruſtrata oſtendere aggrediamur. Moveri quidem eſt neceſſe, quod & ipſi Neoterici fatentur, particulas ut combinationes, vel combinationum diſſolutiones fiant; quarè movens aliquid oportet eſſe, undè illarum motus ſit. Hoc autem quid? Impoſſibile quidem à mechanicè philoſophantibus inveniri. Cauſæ enim motus iſtæ ferè aſſignatæ, vel Deus, ut Anaxagoras; vel lis, & amicitia ut Empedocles; vel caſus, & fortuna, ut Democritus; vel ne-

neceſſitas, ut Epicurus. Tales enim apud antiquos efficientes cauſæ. Poſteriores autem Phyſici, & recenter exorti ajunt moveri particulas, vel à ſubtili, àc ætherea ſubſtantia ut Carteſius, vel ab Archeo Magico, ut Paracelſus, & Van Helmont; vel ab Idea architectonica, ut volunt alij. Quod ergò nulla ex his cauſis ſufficienter aſſignata ſit, declarandum. In primis quidem Anaxagoras longè meliùs cæteris dixit, & tamquam ſobrius antiquioribus comparatus rectè ab Ariſtotele, quia talem cauſam confeſſus eſt. Inſufficienter tamen dixit, quia irrationabile meritò videbitur nullam aliam prÿter primam cauſam eſſe. Si enim actiones ſunt ſuppoſitorum, ut dicunt, ureret Deus, & texeret, & ſecaret. Amplius hoc dicere prohibet altior Philoſophia ſcientia. Nam ſi Deus principium, & cauſa motus, & nihil aliud, nulla erit creata operatio; conſequenter miraculorum gloria evertitur. Miraculum enim eſt à cauſa ſuperiori ipſi naturæ patratus effectus. Quod ſi in natura non eſt, quod agat, nihil ſuprà naturam fieret: non

entis

Digitized by Google

entis enim nullę actiones, aut paſſiones. Quæ verò ab Empedocle, & Democrito, atque Epicuro dicta ſunt, adhuc impoſſibilia magis. Quid enim Empedocli lis, & amicitia movebit, ſi hæc non movens, ſed motus, aut quo motus ſunt? Dicere verò caſu moveri minima corpora perindè eſſet, ac dicere projectis ſuprà menſam caracteribus Iliadem Homeri, aut Virgilij Æneidem potuiſſe componi. Quod ſi neceſſitate moventur, contingentia nulla, ſed omnia neceſſariò evenirent ineluctabili cauſarum vinculo. Sic ergò veteres apparet, perperam de efficiente cauſa judicaſſe. Nunc ad noſtri temporis Phyſicos venientes ipſorum placita diſquiramus. Carteſius enim non benè poſuit moveri inſenſibiles figuras à ſubtili ſubſtantia irrequietis vorticibus circumducta, nam & ipſa materia eſt. Deus enim materiam diviſit (inquit) in ſex facierum corpora, poſtea illam concutiens angulos fregit, undè figuræ varię, ac ramenta. Ex his autem cuncta conſtare Carteſius dicit. Itaque cur parvæ particulæ majores

Digitized by Google

movebunt, & non potiùs è converſo? Hoc quidem videretur magis. Utrumque tamen improbabile, ac falſum. *Non enim ipſa materia ſe ipſam movebit, verùm opifex virtus*: 12. Metaph. tex. 30: ſed nec ab Archeo Magico, vel Idea Architectonica motus erit. Cauſa enim hæc imaginatione conficta videtur inventa, ut errorem tegerent, ſi quando redarguerentur. Igitur hinc patet, tam veteres, quam novos Atomiſtas male de efficiente cauſa philoſophari; undè fuit Ciceroni dicendi occaſio de Democrito, & Epicuro 1. lib. de finib. *cum in rerum natura duo quærenda ſint, unum quod materia ſit, ex quo quæque res efficiantur; alterum quævis ſit, quæ quicquam efficiat, de materia diſſeruerunt, vim, & cauſam efficiendi reliquerunt.* Id ipſum quoque Ariſtoteles anteà oppoſuerat Leucippo, ac Democrito in 1 Metaph. dicens: *de motu verò undè, & quomodò exiſtentibus ineſt, & hi perindè, atquè alii per negligentiam omiſerunt*. Cum ergò ſecundùm mechanica principia cauſam efficientem invenire non poſſimus, undè Deum eſſe ſecundum naturalem

lem rationem dicemus ? Per ſecundas enim cauſas in primæ cognitionem perducimur, ut in principio diximus.

CAP. XI.

Nullam etiam animam concedendam.

AUt nulla eſt ſubſtantialis forma, aut omnes; aliquando enim ſic, aliquando non concedere levitatis indicium, ac inconſtantiæ. Nullam ergò dicunt eſſe formam Neoterici, & hoc benè, ut conſequenter loquantur; quare viventia auferunt, ajuntque eſſe automata, ac machinas bruta, & plantas. Quantùm autem malè id ab illis afferatur, non eſt præſentis negotii demonſtrare; aliàs declarabitur. Interim ſumptis quæ ſunt ab ipſis conceſſa, arguet aliquis ſic. Si bruta automata, ergò & homo, quarè, ut illa anima carent, ſic iſte. Non ſequi hoc, inquis, quià perfectior homo brutis. Sed malè negas, nec ti-

Digitized by Google

bimet cohæres. Nam & bruta perfectiora plantis, & tamen tàm hæ, quàm illa automata: rurſus perfectior mure leo eſt, uterque tamen automa eſt. Igitur in his differentiam agnoſcis ſecundum magis, minuſque perfectam automatis ſtructuram, concede iam perfectiſſimam homini, & tunc automa homo erit. Verum non his aquieſcunt mechanici, ſed in nos propria tela reflectere audent, dum dicunt bruta fore rationalia, ſi cognoſcunt, quoniam cognitio omnis intellectiva, eò quod, & reflexiva. An verò hæc dicunt quia falſa aſſumunt? Nec enim eſt verum omnem cognitionem reflexivam, & intellectivam eſſe. In homine ergò ex ea parte, quaeſt rationis compos, huiuſmodi cognitiones reperiuntur, non in brutis: ſunt quoque in homine, quà ſenſus eſt particeps, non intellectivæ cognitiones; & has in brutis concedere neutiquam abſurdum, ſed neceſſarium.

CAP. XII.

Summum hominis bonum eſſet in voluptate ſenſuum, ut dicebat Epicurus.

SI enim nulla in homine anima, ut nuper probatum fuit, nullus in illo intellectus, qui incomprehenſibilem veritatem agnoſcat, quæ Deus eſt, in cuius viſione beatitudinem eſſe Theologi conſtituerunt. Quare totus homo corpus; quid enim faciet anima, ſi ab automate omnia? Obiecti ad potentiam proportio datur, & Deus actus à materia ſeparatus, ac purus, non erit illum videndi homo capax, non minus, ac lapis. Sola ergò ſupereſſet felicitas Epicurea, ſenſualis, ac brutalis. Hanc enim Epicurus ſolam agnouit, ut apud Laertium lib. 10. teſtatur Dionyſius Halicarnaſſeus, quam ſententiam tranſtulit Cicero in libro 2. de fin.; ubi Epicurum dicit: *ne intelligere quidem ſe poſſe ubi ſit,*

aut quid ſit ullum bonum præter illud, quod cibo, aut potione, aut aurium delectatione, & obſcæna voluptate capiatur. Idque oportebat conſequenter ad atomos Epicurum concedere; & eò magis quià ſcribens ad Herodotum dixit: *qui incorpoream dicunt eſſe animam deſipiunt.* Si ergò apud Epicurum inſipientia erat animam incorpoream aſſerere, ſapientia utique erat illam negare; nec minus ſapientis erat Epicuro incorporei boni hominem fruitione privare. Hæc addita, ut iniuſtè à quibuſdam defenſum Epicurum appareat.

CAP. XIII.

Nec futuram Naturalem Philoſophiam.

CUm naturalis Philoſophia ſit talis, qualem ſuprà deſcripſimus, hanc divinitus traditæ Doctrinæ exiſtere tradiderunt. Nā Sap. 13. dicitur *à magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri*, Et ad Rom. 1. in-

inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. Non erit ergò naturalis ſcientia, quam Philoſophiam dicimus, niſi ſit Dei per creaturas cognitio: hanc autem non eſſe ſuprà probatum, quarè nec Philoſophia. Quænam ergò Neotericorum Doctrina, quæ tantum bonum hominibus eripit? Nullum enim præclarius naturalia quærenti ſolatium, quo in obſequium Dei noſtri utentes beati ſumus Creſi felicitatem, ac Midæ fortunam ridentes. Hoc autem eripere nobis conantibus, qui mechanicè philoſophantur; dabitur venia, ſi contraria ſcripſimus, cum propter Philoſophiæ cauſam honeſtum, iuſtumque ſemper fuerit errores malè opinantium detegendo alios à periculo pro viribus avertere. Præcipuè cum malam Philoſophiam fugere Apoſtolus Sanctus doceat ad Coloſſ. 2. dicens: *videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam*. Sic enim non dabitur occaſio timendi, quod olim Triſmegiſtus, qui Aſclepio filio interroganti, quales poſt ſe futuri eſſent homines, reſpondet: *Sophiſtarum callidi-*

tate

Digitized by Google

tate decepti à pura, ſanctaque Philoſo-phia auertentur.

CAP. XIV.

Mortuorum reſurrectionem non fore opus Divinæ Omnipotentiæ.

SOlius Dei eſſe mortuos ſuſcitare omnes rectè ſentientes Theologi docent, & ſanè ità convenit; ejus enim eſt vitam reſtituere, qui dedit. Hoc autem minimè eſſet verum, ſi omnia ex mechanicis eſſent. Quoniam enim particularum ſubſtantia ſemper manet, nec umquam corrumpitur, reſurrectio erit, ſi iterum particulæ eo diſponantur ordine, quem prius habebant: illis enim ità diſpoſitis reuniretur anima, quæ ſejuncta fuerat mutata(ut dicunt)quæ prius erat,in particulis combinatione. Si ergò ita eſt, poterit Angelus reſurrectionem facere. Mechanicus enim ordo non eſt tantus, ut ſcientiam ſeparatarum mentium fugere poſſit. Igitur non erit opus impendio Divinæ Omnipo-

po-

potentiæ, ſi & cauſa, quæ non poteſt omnia, ſuſcitare mortuos poteſt. Sed inquies, hoc non ſequi, nam & ſi Angeli particulas diſponerent, præterea tamen anima uniri deberet; hoc autem facere minimè poſſunt, ſed Dei potentiæ reſervatur. At dicas, ſi quod à fortiori tenetur, non poſſim auferre, miraculum ne eſt, quod fortior me ſpontè id ipſum præbeat? Non. Nec ergò miraculum uniri à Deo animam particulis, quod Angelus facere nequit, quia fuit à Deo impeditus. Maximum autem eſt miraculum, ſi, quod nos dicimus, aſſeratur, corruptum iterum reſtitui. & dari à privatione ad habitum regreſſum, quamvis naturæ legibus fieri nequeat.

CAP. XV.

Nullam fore Religionem.

Religionem dico virtutem, quæ debitum cultum Deo tribuit tamquam primo omnium principio. Eaque duplex

eſt,

quià & dupliciter Deum colere aliquis poteſt, Deum enim adoramus, ipſique meritam tribuimus laudem, quia cognoſcimus. Duobus autem modis Deum eſſe cognoſcimus, vel naturæ lumine, vel Fidei: illo Deum naturæ authorem intelligimus, iſto fontem gratiæ. Hinc duæ natæ Religiones, quarum una naturalis dicitur, vt ea, quæ antiquitus viguit tempore Enoch, Melchiſedech, & aliorum; alia ſupernaturalis, vt illa quam de Cælo attulit Chriſtus IESUS, Æternus DEI FILIVS. Conveniunt vtique ambæ hæ Religiones, quod vtraque iſtarum Deum eſse fatetur, & unum eſse; amplius Animam hominis immortalem eſse, & pro meritorum ratione recepturam præmium, vel ſupplicium. Differunt rurſus, quod illa, quæ eſt fidei, plura demonſtrat, naturalis pauciora; ſed illa vt certa ſic obſcura (nam non apparentium eſt Fides) iſta certa non ſolùm, ſed & clara, quia apodicticè enunciat. Vtilior quoque ſupernaturalis, quam naturalis, quià ea ſola gratiam, tamquam ſempiternæ Gloriæ pignus confert. Hæc talis divi-

ſio

ſio alicui forte minùs probanda videretur, quod una eſt Religio, ſicut & Fides, per quam ſalvamur, omniſque alia vana, & inutilis: cui moroſæ argumentationi non eſt difficilis reſponſio. Finis enim in vtraque idem, ſed ratio diverſa, modus quoque tendendi diſtinctus. Illic naturæ, hic revelationis lumine illuſtratur anima; Illa Chriſtum fateretur mediatorem, ſi noſset; hæc fatetur, quia cognoſcit. Igitur ſit hoc benè à nobis conſtitutum, & colligendo magis, quàm argumentando probemus utramque Religionem fore, ut evertatur, ſi principia mechanica inducantur: Deum enim negãdum (quod planè eſt impium), animam quoque rationalem non futuram, multaque alia ſecundùm Religionem falſa, & inconvenientia ſequtura ex novis opinionibus ſuprà luce clarius oſtendimus: quarè, & Religio utique periret, quæ non haberet Deum, quem coleret, aut à quo præmium ſperaret, vel pœnam timeret.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XVI.

Contrariæ rationes proponuntur.

VErùm quoniam ſatis non eſt noſtra probaſse, niſi aliena confutemus, ideò quid adverſus Ariſtotelis principia opponere ſoleant, ac poſſint diſquiramus. Sic enim juſtum de veritate judicium feremus, quando non ſolum pro nobis, ſed etiam pro adverſarijs dicere non faſtidiamus. *Melius enim ſe habere* (ut ait Ariſt. 3. Metaph. cap. 1.) *neceſſe eſt illum ad iudicandum, qui tamquam adverſarios omnes utrinque rationes oppoſitas audiat*. Inquiunt ergò, quod ſi generatio eſt, qualem nos admittimus, continget fieri aliquid ex eo quod non eſt (à non eſse enim ad eſſe generatio) hoc autem impoſſibile, quia ex nihilo nihil, quare nec generatio ex eo, quod non eſt: fiet ergò ex ente generatio, & in ens corruptio erit. Ad hoc divinum ferunt teſtimonium in lib. Eccleſiaſtes poſitum: *Nihil ſub ſole nouum, nec valet*

quiſ-

Digitized by Google

quiſpiam dicere, ecce hoc recens eſt, iam enim præterijt in ſæculis, quæ fuerunt antè nos. Rurſus ajunt, materia eſt in potentia ad formas, non ad quaſdam, ſed ad omnes; quarè fiet quodlibet ex quolibet: cur enim corruptione peracta materia non poterit quamlibet recipere, ſi quamlibet poteſt? Amplius; ſi principia ſunt illa, quæ neque ex alijs, nec ex alterutris, ſed ex his omnia, talia erunt mechanica; in hæc enim omnia reſolvuntur ultimò. Denium ars naturam imitari dicitur, quarè ſi illa combinando agit, ut Grammatica in vocibus, Rhetorica in orationibus, Poeſis in carminibus pangendis; pari quoque modo natura particularum ordine, & combinatione phyſicas ſubſtantias procreabit. Hinc voluerunt Neoterici ſua principia mechanica appellari, quia apud ipſos natura nihil excedit leges vulgaris mechanices.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XVII.

Reſpondetur ad ſupradicta.

EQuidem generationem eſſe demonſtrauimus, nec magnopere nobis repugnat contraria ratio. Nec enim dicimus fieri aliquid ex nihilo, nec ſimpliciter ex non ente. Dupliciter enim non ens dicitur; per ſe, ut privatio, & ſecundùm accidens, ut materia. Nam privatio fieri ens numquam poteſt; ità verò materia, habita forma, quæ dat eſſe. Igitur ex materia, non ex nihilo generatio fit, quam quià antiqui naturales percipere non valuerunt, ideò generationem negarunt. Nec enim intelligebant in natura hoc quidem eſſe potentia ens, illud autem actu, *Quod illi quidem* (ut dicitur 1. Phyſ. Tex. 74. de antiquis) *non partientes aberraverunt, & propter hanc ignorantiam tantum inſuper ignoraverunt, quod nihil eorum opinati ſunt fieri, aut eſſe, ſed auferebant omnem generationem.* Et rurſus tex.

tex. 78. dicitur: *hæc enim viſa natura* (hoc eſt ens in potentia) *omnem hanc ſoluit ipſorum ignorantiam*. Illud verò, quod ex Sacris Litteris commemorant, nihil eſſe ſub Sole novum, de moribus, vel probis, vel improbis loqutio eſt: omni enim tempore fit aliquid ſimile præteritis factis. Si enim nunc contingit juſtæ cauſæ injuſtam prævalere, & olim. Si nunc habere magis, quam undè habere ſtudent homines, & olim. Quare, & nunc diceret poeta (Iuvenal. ſat. 14.)

. . . . lucri bonus eſt odor ex re
Qualibet . . . . .

Sic enim avarus pater filium alloquitur, & in eadem figura rurſus dicit:

Vndè habeas quærit nemo, ſed oportet habere.

Fuerunt ergò olim mali patres, ſed & nunc; quarè non eſt mirandum aliquem malum patrem eſſe; non enim eſt hoc novum. Extiterunt quoque, & boni patres, ſed etiam nunc; iſti tamen illis pauciores. Erit tamen fortè aliquis Philtoni illi ſimilis apud Plautum in Trinummo qui

Digitized by Google

qui filium ad meliorem frugem illis adhortetur verbis

. . . . nolo ego cum improbis te viris.

Gnate mi, neq; in via, neq; in foro ullum ſermonem exequi

Novi ego hoc ſæculum moribus, quibus ſit; malus bonum malum

Eſſe volt, ut ſit ſui ſimilis.

Erit etiam nunc filius ſimilis illi Lyſiteli, qui à teneris unguiculis his monitis auſcultet, & dicat.

Sarta tecta tua præcepta uſq; habui.

Sic ergò nihil eſſe ſub Sole novum apparet moraliter dictum. Quod etſi phyſicè interpretemur, non erit inconveniens: nàm genera, & ſpecies non variantur, ſed manent. Namque de ipſis individuis abſurda eſſet explicatio, qualem adverſarii faciunt: illa enim potiùs ſunt generabilia, ac corruptibilia, de quibus in eodem loco dixerat Salomon: *Generatio præterit, & generatio advenit*. Hoc autem perindè eſſet, ac dicere vnius corruptio alterius generatio, & alterius generatio iſtiùs corruptio, ut ajunt Peripatetici. Nec præthereà ſequitur fieri quodli-

libet ex quolibet: duplex enim, ut diximus materia; communis, & propria. Determinat autem propria communis materiæ indifferentiam. Rurſus efficiens cauſa coarctat materiæ potentiam ad unum; undè determinatum à determinato promanat, & non quodlibet ex quolibet. Quare Ariſt. 8. met. tex. 11. *Contingit* (inquit) *una exiſtente materia diverſa fieri propter moventem cauſam*. Amplius non fieri omnia ex particulis, aut atomis oſtenſum eſt ſupra, nam generatio alioquin deſtrueretur, cum non ſufficiat combinatio: igitur nec principiorum definitio atomis convenit. Quæ autem de reſolutione fiunt, rationes peccant, quia analyſim non diſtingunt: hæc autem trifariam accipitur. Aut enim eſt in res de novo genitas, ut ex templo theatrum; aut in partes integrantes, ut ex pariete lateres, aut in partes eſſentiales, ut ex domo remanens materia, & figura, quæ in verſione domus interit. Principiorum ergo analyſis eſt, quæ fit ſecundùm eſſentiales partes. Hinc non eſſe verum conſtat, quod à Chymi-

cis deffenditur ſalem, ſulphur, & mercurium pincipia eſſe, quia in hæc reſoluuntur omnia; noviter enim per Chymicam analyſim generantur. Præter quam quod hæc tria principia eſſe nequeunt, cum, & ipſa in alias ſubſtantias per corruptionem reſolvantur. Nulla demum eſt naturæ, ac artis ſimilitudo; ars enim imitatur naturam, ſed non adæquat, ſicut nec creata actio divinam, qualis eſt naturalis. Nam *opus naturæ opus intelligentiæ*, non cuiuslibet, ſed divinæ, quare, & operatio naturæ perfectior, quippè quæ à diviniori principio proveniat. Comparabitur ergò naturę ars, ut ſimia homini. Verùm *Simia* (inquit Cic 1. lib. de nat. Deor.) *quam ſimilis turpiſſima beſtia nobis? at mores in utroque diſpares*.

Finis Libri Secundi.

Digitized by Google

ENCHIRIDION
De Principijs Peripateticis.
LIBER TERTIUS.

CAP. I.

Primam rerum materiam rectè fuiſſe ab Ariſtotele aſſignatam.

PEripatetici, & ipſi conſentientes quod *ex nihilo nihil*, ſubſtãtialem mutationem dum concederent, de materiali principio diligenter conſiderarunt. Hoc autem eſſe ens in actu inficiantes ens tantum in potentia dixere: Sic enim generationem in quodquid manere arbitrati. Et quidem hujuſmodi eſſe materiam oportebat, ſi eſt generatio, exiſtente enim ſolo ente in actu non erit in quod quid generatio, ſed vel ſecundùm den-

ſum, & rarum, ut dicebant veteres illi, qui unum ex elementis pro principio ſtatuerunt; vel congregatione ſolùm, & diſgregatione fieret rerum ortus, & interitus, ut Leucippus, & Democritus exiſtimarunt. Quare, ſi, ut acceptum eſt, aliter fieri, quæ fiunt, non poſſunt, niſi generatio ſit: hæc autem nec ex nihilo, neque ex eo, quod ens eſt in actu; ex eo ergo quod potentia eſt ens, fieri omnia oportebit. Hujuſmodi autem eſt Ariſtotelis materia, quæ idcirco, nec quid, nec quale, nec quantum dicitur, nec aliud eorum, quibus ens determinatur. Cum enim omnia potentia ſit, nihil eſt determinatè: ſed non omninò nihil; eſt enim aliquid, ſed potentia; actu verò fit per formam. Quamobrem benè Joannes Picus in Concluſionibus Philoſophicis ſecundùm propriam opinionem dixit, quod iſtæ propoſitiones ſunt concedendæ, ut omninò veræ: *Materia prima ſit Aſinus, Bos, & ſimilia.*

CAP.

CAP. II.

Quomodò materia dicatur ens in potentia.

BIfariam, quod in potentia eſt ens, dicitur; aut enim id quod non eſt, poteſt tamen eſſe, potentia dicitur, ut alius mundus: aut id quidem, quod eſt, ſed tale non eſt, quod fieri poteſt; ut lignum, quodlicèt, ut tale ſit; potentia tamen eſt hoc, aut illud figuratum. Similiter potentia dupliciter dicitur: alia enim activa, alia paſſiva. Materiam ergo non eſſe potentia, ceù aliquid ſimpliciter poſſibile conveniunt omnes; nam quod non eſt ejus, quod eſt compoſitionem non faciet. Aiunt ergo materiam eſſe, ſed non hoc aliquid. Similiter conveniunt hanc materiæ potentiam paſſivam, non activam eſſe: recipiendi enim principium materia, ſicut agendi forma. Verùm dubitatio relinquitur de materiæ exiſtentia, an hæc per ſe inſit, an

Digitized by Google

à forma omne eſſe promanet. Pugnant autem de hac re Peripatetici. Nam hi, quibus viſum eſt materiam propria exiſtentia non privare his ferè rationibus uſi ſunt: quod nihil eſſet materia ſi propriam non habet exiſtentiam, ut alius mundus nihil eſt actu, quia exiſtentiam non habet. Præterea ut materia eſt pars ſubſtantiæ independenter à forma eodem modo exiſtet. Amplius ſi non eſt per ſe ens materia, in corruptione periret, quod tamen non evenit, oportet enim illam ſemper manere. Ruſus in generatione non fit, forma verò fic. Demum ſuſtentatur forma à materia, quare illa magis exiſtet. Conveniens ergo fortaſſe videbitur materiæ exiſtentiam propriam non inficiari, cum ipſa dicatur non ens actu, non quià omni ſimpliciter actu denudata permaneat, ſed quià formalem actum, tamquam ſubſtantialem formam ſollicita quærit.

CAP.

C*AP.* III.

Materiam eſſe puram potentiam.

HIs tamen non obſtantibus doctiſſimi Peripatetici decreverunt materiam propria carere exiſtentia. Hoc enim magis Ariſtotelis menti congruum videtur, qui materiam potentia ens dixit, quod ſi actu per ſe eſt, nihil impediet, quominus ens in actu dicatur; anſaq. præberetur his, qui pro materia ens in actu ponunt, ex noſtris pro ſe pugnandi. Quod videntes Ariſtotelis interpretes actũ omnem abſtulerunt. Ejus enim auditor Theophraſtus cap. 6. Metaph. ait materiam eſſe per formam; *non enim eſſet materia ipſa*, hoc eſt forma, *non exiſtente*. Themiſtius quoque Alexandri compendiator dicit: *Res habuerunt à materia ut fierent, à forma ut eſſent*. Et hi quidem Græci; inter Arabes autem Averroes lib. 7. Metaph. com. 31. ait: *Subiectum formæ non habet eſſe, niſi per formam*. Ex La-

tinis verò Boetius lib. de unit. & uno dicit: *Omne eſſe eſt à forma*: Et rurſus *eſſe enim non eſt niſi ex coniunctione formæ cum materia*. His cum S. Thoma acceſſerunt alii illuſtres Paripatetici; nec hos tantùm, verùm, & Platonicos fateri id ipſum oportet. Nam hoc priùs traditum in Timæo, ubi forma ſimulacrum dicitur, *per quod materia eſſentiæ fit particeps, aliter verè eſſe nullo modo poteſt*. Plotinus quoque Ennea. 2. lib. 4. cap. 8. dicit: *Ingreditur materiam ſpecies omnia ſecum afferens*. Quod ſi ſpecies, hoc eſt forma, omnia ſecum affert; igitur, & eſſe, quod eſt ultima entis perfectio. Porrò id eſt verum non ſolùm iſtorum auctoritate, ſed & ratione. Nam cum materia dicatur ſecundùm analogiam ſcibilis; ità ſe habebit naturalis materia ad naturale eſſe, quemadmodum artis materia ad eſſe artificiale. Hujus autem eſſe, qua artificiale eſt, à forma pendet artificiali; quare, & naturalis eſſe materiæ à forma erit naturali. Trianguli enim forma dat non ſolùm æri V. G. triangulare eſſe, ſed & figuratum eſſe, quare, ſim-

Digitized by Google

ſimpliciter eſſe figurato. Hoc enim eſt eſſe figurato, quod eſt figuratum eſſe. Habet tamen difficultatem quomodò hoc dicatur, ſi exiſtentia ab eſſentia diſtinguitur ut decet. Nã figurati de figurato neceſſaria eſt prædicatio, non ita exiſtendi. Sed non ſic accipiendum, quod dictum eſt. Nam ut figura poſſibilis eſt figurati cauſa, ſed non exiſtendi; ità ipſa exiſtens erit cauſa exiſtentis figurati. Undè ſicut materia habet à figura figuratam eſſe; ità ab exiſtente figura exiſtentem eſſe in genere figurati. Similiter ergò forma ligni V. G. dabit naturali materiæ non ſolùm eſſe ſpecificum ligni, ſed & eſſe ſimpliciter in genere ſubſtantiæ. Ampliùs inconveniens eſt materiam per ſe exiſtere, ſi forma per ſe eſt: Sic enim ex materia, formaque coniunctis non fieret unum per ſe compoſitum, ſed per accidens: Quemadmodum ex lignis uno vinculo colligatis, non fit unum per ſe, ſed aggregatum per accidens. Meliùs ergò philoſophari hi viſi ſunt, qui materiæ omnem actum denegarunt, eamque in conditione puræ poten-

tiæ reliquerunt: ut ejus differentia eſſentialis ſit puram potentiam eſſe, ut Auerroes docet in lib. de ſubſtantia orbis cap. 1.

CAP. IV.

Solvuntur contrariæ rationes.

QUæ autem in contrarium allatæ ſunt rationes, ſolvuntur, quià materia non eſt obiectiva potentia ſed realis. Deindè eſt quidem pars ſubſtantiæ, & non per formam, ſed non ſimiliter exiſtit; non enim eſt idem eſſe, & eſſentia in creatis, ut rectè S. Thomas demonſtrat. Nec indè materiam corrumpi ſequetur in mutatione, quià forma recedente exiſtentiam amittit: una namque forma ablata ſuccedit altera, à qua exiſtere habet materia; Quod ſi omni forma denudaretur, in nihilum abiret deficiente tunc principio exiſtendi formali. Quandò autem fit generatio non fit propriè forma, ſicut nec materia, ſed compoſitum, quod ſolùm verè

Digitized by Google

eſt: Fit tamen hoc in hoc, nam in materia forma ineſt. Antea enim erat in materia poteſtate forma: fit autem actu, quandò de potentia extrahitur. Verùm in tali mutatione non oportet materiam per ſe eſſe, ſed ſolùm propriam habere eſſentiam à forma diſtinctam. Rurſus forma ſuſtentatur a materia, non quia eſſe formæ à materia tribuatur (contrarium enim eſt verum;) ſed quia ſine ſubiecto, quod actuet, ac perficiat, eſſe nequit forma.

CAP. V.

Materiam non poſſe aliquo ſenſu cognoſci.

SEnſibile de genere illorum eſt, quæ ad aliquid ſunt: eſt enim ſenſus ſenſibilis ſenſus, & ſenſibile ſenſus ſenſibile. Quarè id erit ſenſibile, quod cum ſenſu proportionem habebit. Id autem in primis oportet eſſe actu ens, quia id quod non eſt cognoſci ſenſu nequit, licet intelligatur. Deinde aliud ſen-

ſibile per ſe, aliud per accidens. Senſibile quidem per ſe rurſus in proprium, & commune dividitur: & hoc ſenſititivi principii actionem terminat recepta in ſenſorio ſpecie. Speciē verò mediis accidentibus diffundi oportet, ut media mediis, extrema extremis reſpondeant. Quarè accidentia per ſe nota ſenſibus, ſubſtantia intellectui. Erit ergo ſubſtantia per accidens ſenſibilis, ut rectè Peripatetici dicunt. Itaque cum materia pars ſit ſubſtantiæ, cognoſci per ſe aliquo ſenſu nequit. Hinc illos multùm errare eſt manifeſtum, qui Ariſtoteleæ materiæ exiſtētiam cauſantur, quià cognoſci ſenſu non poteſt. Nec enim hoc benè ab ipſis concluditur, alioquin nec Deus, nec quæcumque ſubſtantiæ à materia ſeparatæ eſſent, propterea quià ſenſibus ſunt ignotæ. Fuerat olim hic Epicuri error Deos negantis, quià illos non videbat, qui meritò à Tullio irridetur in 1. de nat. Deor. *Quæ ſunt* (inquit,) *tantæ animi anguſtiæ, ut ſi Seriphinatus eſſes, nec unquam egreſſus ex inſula, in qua lepuſculos, uulpeculaſque ſæpè vidiſses, non*

cre-

crederes Leones, & Pantheras eſſe, cum tibi quales eſſent, diceretur? Inviſibilem ergo oportet eſſe materiam ob quæ dicta ſunt; quod etiam à divinitus tradita doctrina accepimus. Nam in lib. Sap. cap. 11. dicitur quod *Omnipotens manus Domini creavit Orbem terrarum ex materia inviſa.* Non autem ibi eſt ſermo de prima Mundi creatione, quæ ſimpliciter fuit ex nihilo, nullo tunc præexiſtente ſubiecto; ſed de ſecunda hoc eſt de rerum diſtinctione, & ornatu. Sic enim intelligitur factas res ex materia inviſa, ideſt ſenſu non apprehenſa. Id ipſum tradidere antè Ariſtotelem Philoſophi nomine clari, ut Ægyptius Mercurius, qui in Aſclepio materiam eſſe totam inviſibilem aſſerit. Plato quoque in Timæo talem materiam eſſe conſtituit. Sed inquies ex Ariſtot. 3. de Cæl. tex. 61. *Oportet fortè ſenſibilium principia eſſe ſenſibilia*: Quarè materia ſenſibilis erit, cum ſit ſenſibilium principium. Audias tamen quid Simplicius dicat: *illud (fortè) appoſuit, quia non ſemper neceſſe ſenſibilium ſenſibilia principia eſſe. Nam materia*

prin-

principium ſenſibilium exiſtens diffugit ſenſum. Satis ergo erit ſenſibilium principia eſſe ſenſibilia, vel per ſe, vel per accidens, quod non convenit Mathematicis figuris, quæ tamquam principia agnoſcebantur à Pythagorico Timæo; cui proindè Ariſtoteles adverſatur.

CAP. VI.

Materiam aliquo modo eſſe cognitam, alio etiam incognitam.

VErùm cum materia minimè ſenſibus obvia ſit, dubitabit aliquis num etiam intelligendi facultati impervia perhibeatur. Contrariæ enim loqutiones de materia videntur ferri. Nam 7. Metaph. tex. 35. dicitur: *materia per ſe ipſam incognita eſt*. Similia etiam Plato in Timæo aſſerit: *ipſa quidem* (inquit) *comprehendi per ſe nullo pacto poteſt*. Et tamen talem materiam uterque magiſter ſcilicet, & diſcipulus cognoſcibilem fatetur, dum eam definitionibus explicant. Hanc itaque

Digitized by Google

que dubitationem dirimere haud erit difficile, ſi quot modis aliquid cognoſci dicatur, advertamus. Primò enim quæri poteſt, an ſit res, deindè quid ſit. Rurſus quandò quæritur quid ſit, vel ipſam eſſentiam venamur, vel quæ in illa ſunt propria. Demum aliqua meliùs intelligimus quid non ſint, quam quid ſint; ut illa, quæ ab intellectu animæ noſtræ remotiſſima ſunt: hujuſmodi autem Deus, & materia prima. Deus enim talis eſt, quia purus eſt actus; materia prima, quia eſt pura potentia. Igitur ſic patet materiam aliquo modo eſſe cognitam, alio verò incognitam. Cognoſcitur enim quod eſt, quamvis quid ſit perfectè non cognoſcatur. Nec tamen eſt hujuſmodi cognitio inutilis, cum talem de Deo habeamus. Idcircò ergò materia incognoſcibilis dicitur, quia eius natura comprehendi nequit, cum potentia tantùm ſit, & nullo modo actus. At ſecundùm analogiam, & comparationem ad materiam artis intelligi poteſt: *ut enim* (inquit Philoſoph. 1. phyſ. tex. 69.) *ad ſtatuam æs, aut ad lectum lignum,*

aut

aut ad aliud aliquid habentium formam materia, & informe ſe habet prius quam accipiat formam: ſic hæc ad ſubſtantiam, & hoc aliquid, & quod eſt ſe habet. Vel etiam cognoſcitur materia per remotionem eorum, quæ cognoſcimus in aliis: & hæc negativa cognitio dicitur, & apud Platonem in Timæo adulterina, hoc eſt non propria, ſed aliena nominatur.

CAP. VII.

Quid ſit apud Ioannem Picum materiam cognoſci per viam numerorum.

QVoniam de cognitione materiæ agitur ſermo, non erit procul à propoſito Ioannis Pici Mirandulani omnigena litteratura Principis admirabilis concluſionem examinare, quam inter paradoxas poſuit, in quibus nova in Philoſophia dogmata inducit. Et utinam eam ſicut & alias nobis expli-

plicaſſet anima illa Cherubica intelligentia donata; ſic enim, nec mihi periculum fieret gloriæ, dum fortè nimis audax ſenſum acutiſſimæ mentis veſtigo; & præterea multum dignior, ac clarior, quam nunc eſt, Philoſophia incederet. Non ergò tanti me facio, ut Ioannis Pici mentem capere me poſſe arbitrer, cui ſatis eſt ſuboltacere, ac monumenta tanti ingenii quotidie mirari, & quadantenus conceſſum eſt erudiri. Cæterum concluſio, de qua dicturus ſum, eſt illius notæ quinquageſima quarta, & dicit ſic: *Ad probandum materiam primam eſſe magis certificat, vel via numerorum, vel via catholicæ Philoſophiæ, quam ulla ratio phyſica, in qua ſenſus habeat introitum*. Quali enim ratione phyſica probatum ſit eſſe materiam antea vidimus: nam ex via generationis deducitur. Verùm eſſe quidem generationem videmus, ſed materiam, in qua fiat generatio, ſenſu nullo percipimus: Oportere tamen materiam adeſſe ſuadet illud *ex nihilo nihil*, quod non eſt ſenſu cognitum, niſi in mutatione ſecundùm accidens. In ſubſtantiali autem mutatio-

tio-

tione via Fidei comprobatur, ſecundùm quam ſolius Dei eſt creare. Præterquamquod ſi non eſt naturaliter productio ex nihilo, nec eſt Ariſtotelis materia, aliam oportebit ponere, qualem veteres ſtatuebant, & Neoterici dicunt. Hac autem poſita, quæ impoſſibilia ſecundùm catholicam Philoſophiam ſequantur oſtenſum in altero libro eſt. Igitur manet dubitatio, quomodò intelligatur viam numerorum certificare de exiſtentia materiæ primæ. Hic eſt nodus, quem mihi ſolvendum propono; quod ſi fruſtrabit eventus, precor de venia, cum ad laborem honeſtus ſciendi amor, non temeritas provocaverit. Cum ergo notum ſit Ioannem Picum omnium Philoſophorum doctrinam optimè calluiſſe, in Platonica autem præ cæteris excelluiſſe, ex iſto fonte abſonditam veritatem haurire non deſpero. Docet enim in 7. de Repub. Plato Philoſophis eſſe neceſſariam Aritmeticam, in qua id, quod primò conſideratur eſt ipſa unitas omnium numerorum principium. Quin imò intelligere naturam unius eſt perutile,

Digitized by Google

tile, cum per hujus cognitionem id, quod verè eſt, intelligamus; ſic enim ait: *hoc pacto unius conſideratio ex eorum numero erit, quæ attollunt animum, convertuntque ad eius, quod verè eſt contemplationem*. Quarè cum ſecundum Platonem neceſſaria ſit unius conſideratio, & prætereà unum ſit numeri principium (dicitur autem principium, quià eſt veluti janua, & via, per quam omnem numerorum multitudinem cogitatione ingredimur) arbitror viam numerorum apud Picum ſignificare ipſum unum. Igitur intelligere materiam primam per viam numerorum, eſt ejus naturam cognoſcere per unius intellectum. Verùm quomodo per unius conſiderationem in cognitionem primæ materiæ perveniamus, eſt aperiendum. Profectò unum, & ens convertuntur, ut Metaphyſici dicunt, & ipſe etiam Picus declarat in celebri opere de Ente, & Uno, cujus gloriæ non derogavit, aut invidia, aut moleſtia. Rurſus idem Auctor in ſexto ejuſdem libri capite oſtendit materiam non eſſe verè unam, quia nec eſt verè ens; nec tamen eſt omninò nihil

hil, quarè nec unius ratione omninò privata: *exactam autem unitatem* (inquit) *ab eadem, à qua eſſe, recipit forma*. Cum ergò natura unius ſit ens eſſe, ſequitur, quod ens actu erit unum actu, ens in potentia unum in potentia. Igitur hoc modo viam numerorum arbitror certificare materiam primam eſſe; quià ſicut materiam perfecta ratione entis privari intelligimus, ità & unius. Quod ſi aliter velimus interpretari, dicamus cum Iamblico, de cujus opinione in eodem dicitur capite, materiam eſſe dualitatem, quia ut dualitas eſt prima multitudo, & radix cæterarum; ita materia eſt radix multitudinis, quatenus eſt corruptionis, & generationis cauſa, unde multa oriri, & interire conſpicimus. Intelligemus ergo materiam primam eſſe per viam numerorum, quia dualitatem non quidem principium numeri, ſed primam rationem numeri eſſe intelligimus; dualitati verò non abſurda proportione materia comparatur.

CAP.

CAP. VIII.

Solvitur inſtantia.

AT qualiſnam ſit materia hoc modo utcumque intelligimus quidem; eſſe autem quo pacto certificamur? Nam ſi unius conſideratio eſſe materiam oſtendit, erit ergò materia, ubi ratio unius: quare & mentes ſeparatæ materiam habebunt, quia de ſingulis unius ratio prædicatur. Verùm ſi ex eo, quod cognoſcatur aliquid, quale ſit rectè inferimus eſſe poſſe, cum è contra eſſe impoſſibile rectè illud dicamus, quod qualenam ſit, intelligere non poſſumus, ut Chymeras: materia autem qualis ſit per viam intelligimus numerorum, & eſse quoque dicemus. Concluſio enim Picinon eſt poſitivè poſita, ut ità illam accipiamus, qualem exhibent verba, ſed in forma paradoxi. Exiſtimo autem paradoxum enunciatum, quod ſub ſpecie falſi certiſſimam continet veritatem. Quarè

eſt

Digitized by Google

eſt intelligenda Pici ſententia eo, quo poteſt modo, non ut prima verborum facies ſignificare videtur. Igitur ſeparatis ſubſtantijs materia non inerit, quia non eſt in illis ratio unius, qualis in materia reperitur: earum enim unitas actus, cum & ipſæ formæ, actuſque ſint.

CAP. IX.

Materiam ingenerabilem, & incorruptibilem eſſe.

PRima cauſa ut potuit materiam ex nihilo creare, ità poſſet illam in nihilum redigere virtute ſubtracta, qua illam conſervat. Non autem generari poſſibile eſt materiam, ſi generationem fieri ex ſubiecto oportet (quæ enim ex non ſubiecto productio non eſt generatio, ſed creatio); alioquin eſſet ſubiectum antè primum, quod fieri nequit. Corrumpi etiam non poterit materia niſi in ſubiectum; eſt autem ipſa ſubiectum ultimum, quo proindè non eſt aliud poſterius, quarè

Digitized by Google

rè incorruptibilis materia: Amplius quod eſt generationis cauſa generari non debet: nam alioquin quomodo generatio erit, ſi cauſa tollitur? Eſſe autem materiam generationis cauſam neceſse eſt, non efficientem, ſed materialem, ut lignum figurationis: undè in Aſclepio dicitur materia *malignitatis fæcunda*. His tamen obſtat, quod materia habet eſse à forma; una autem forma recedit altera ſuccedente: quarè exiſtentiam amittet materia, ergò & corrumpetur. Amplius ſi eſt corruptionis cauſa materia, ipſam quoque corrumpi oportebit, nam propter quod unumquodque tale, & illud magis. Quod ſi nihilominus dicatur materia incorruptibilis, erit ipſo compoſito perfectior, quod eſt corruptioni obnoxium. Solvuntur tamen hæc. Nam corrumpi illud dicitur, quod erat, & poſteà non eſt; non ità materia, quæ quamvis in nova generatione non ſit amplius ſub veteri forma, eſt tamen ſub nova: ceu baculus, qui de manu in manum porrigitur, cadere non dicitur, quia ſucceſſivè à pluribus manibus ſuſtentatur.

Digitized by Google

tur. Illud autem propter quod unumquoque tale, & illud magis de formali cauſa eſt verum, non de materiali: aqua enim calida propter ignem, ignis tantò magis calidus. Verùm formalis cauſa corruptionis non eſt materia, ſed contrarietas qualitatum. At materia licet incorruptibilis ponatur, non eſt tamen ſimpliciter compoſito perfectior, quia major eſt perfectio eſse ens actu, quam incorruptibile.

CAP. X.

De appetitu materiæ ad formas.

QVoniam materiam appetere formas vulgatum à Peripateticis eſt dubitari etiam ſolet qualiſnam ſit appetitus iſte. Porrò appetitus eſt ad bonum propenſio: eſt autem forma bonum, imò, & divinum ut ait Ariſt. 1. phyſ. tex. 81. Quarè cum materia per ſe ſit omnis perfectionis indiga, appetit bonum, quo caret, ut turpe pulchri-

chritudinem exoptat. Rurſus ſunt omnes formæ erga materiam pares, cum æqualiter ſingulæ ens actu in materia efforment; quarè non has magis, quàm illas appetit. Nec ſi ejus potentia una forma terminatur, expleta dicitur; unde adhuc formarum, quas non habet, eſt ſollicita. Mali ergò principium materia, quia nulla forma ſaturatur, nam quod nacta eſt bonum, interimi permittit. Cum tamen ſingularium jactura Univerſi varietatem ſervet, idcircò bona materia non per ſe, ſed fine præſtituto. Quibuſdam tamen viſum eſt non rectè fuiſſe tributum materiæ appetitum, qui propriè eſt animalium. Hos tamen edocendos remitto ad Ioannem Franciſcum Picum alteram Mirandulæ gloriam, qui in lib. de appetitu materiæ cap. 9. ait: *cum deſunt propria nomina tranſlatitiis utendum eſt, quæ & interdum ex uſu communi loquendi rem ipſam exprimunt ſignificantius, & tamquam ſub oculos ponunt.*

Digitized by Google

CAP. XI.

De nominibus materiæ.

TAlem ergò eſſe materiam, ex qua omnia naturalia generantur, hactenus oſtenſum eſt quam quidem non ſolus Ariſtoteles aſſeruit, ſed ante illum Plato, & antequam Græciam ingrederetur Philoſophia Triſmegiſtus agnovit. Poſtquàm tamen Ariſtoteles eam manifeſtius ſignificavit omnes celebriores Philoſophi aſſentere: nam Platonici, qui aliam philoſophandi rationem à Peripateticis viſi ſunt habere, dum tamen ad phyſica declinarunt, ab hujuſmodi materia minimè abhorruerunt. Cum verò ſit omnium entium deſpicatiſſima, metaphoris quibuſdam eam ſignificare Philoſophis placuit. Triſmegiſtus quidem in Aſclepio Hylen vocavit ideſt inviſibilem, unde & inviſa in ſacris litteris dicta. Peripatetici inaffectam, informem puram potentiam propè nihil, & propè ſubſtantiam

tuc-

Digitized by Google

turpe, ac matrem appellarunt. Caret enim perfectione quacumque id, quod habet poſſe tantùm perfici, idcirco perfectiſſimus actus, qui eſt eſſe, potentia in illa exiſtens relinquit in medio inter nihilum, & ens; ornaturque formis, quas veluti mater paſſive parturit. Apud Platonem, ejuſque diſcipulos infinitudo dicitur; & Pandetes, hoc eſt omnia habens, conceptaculum, gremium, ſinus, & locus formarum: quia cum nullam rationem actus contineat in propria abyſſu recondit omnes rerum formas, ac ſpecies, Arabes originem, maſſam, ſylvam, & ſeminarium appellarunt, quia omnia ceu ex prima, & communi rerum materia procreātur. Demum eſt verus poëtarum Proteus, qui juxtà Virgilianum illud Georg. 4.

Omnia transformat ſe ſe in miracula
rerum,
Ignemque, horribilemque feram, fluuiumque liquentem.

Digitized by Google

CAP. XII.

De forma.

MAteriæ naturam ſatis perſcrutati remanet, ut formam quoque veſtigemus. Nec enim materia quod quid eſt eſſe rei, ſed aliud præterea quæritur, quod diſtinguat, ipſamque materiæ potentiam determinet. Hic autem formæ, & actus finis, ex quo perfectio omnis redundat. Non ergo hominem eſse eſt eſse Muſicum, vel Geometram, ſed homini aliud eſt eſse Hominem, & Muſicum, vel Geometram. Quarè erit Muſica, aut Geometria forma inhærens homini Muſico, vel Geometræ: & ſimiliter à non Muſico, & non Geometra diſtinguetur Muſicus, & Geometra non ſecundùm hominis eſse, quod eſt utriſque commune, ſed per in exiſtẽtes formas Muſicę, ac Geometriæ. Habita autem, quæ oportet, naturalium, & artificialium ratione, ſimili quoque modo de his philoſophabimur.

Digitized by Google

mur; non enim eſt lignum, aut lapis, quia materiam habet, ſed ligni, lapidiſque forma talis eſt eſſe principium. Hinc præter materiam poſita forma, ut ex utraque veluti partibus unum phyſicum compoſitum fiat. Equidem omnes quicumque cum Parmenide, & Meliſſo non exiſtimarunt unum eſſe ens cuncta, de forma cogitare oportebat: nec enim commune diſtinguit, ſed quod eſt uniuſcujuſque proprium. Igitur veteres quæcumque potuerunt de forma dixere. Hi enim per rarum, & denſum materiam ad ſpecies determinatas cogi arbitrati; illi autem per congregationem ſecundùm differentiam Rhyſmi, Diathige, & Trope ſcilicet figuræ, ordinis, & ſitus. Hæc etiam ſola Neotericis forma ſupereſt, qui pro principijs atomos, vel particulas, vel minima corpora ſtatuerunt: nihil enim refert quocumque voces nomine mechanica principia, cum idem varijs nominibus ſignificetur. Undè tam apud hos, quàm apud illos erat omnis mutatio alteratio localis, & generationem in eo, quod quid eſt prorſus ſuſtulerunt. Quarè

recentium forma eſt particularum combinatio, textura, ac harmonia.

CAP. XIII.

Formam non eſſe rectè aſſignatam ſecundùm mechanica principia.

HÆc autem non rectè ſe habere comperiemus ſecundùm veritatem, quamvis cohærenter ad ea, quæ ab ipſis poſita ſunt, dicantur. Eſſe namque generationem, quod oporteat, declaravimus; quarè materiam ſubſtantiam non eſſe, ſed prope ſubſtantiam, hoc eſt eſſentialem ejus partem eſt neceſſe. Ordo autem, & combinatio eſt aliquid conſtituta ſubſtantia poſterius; erit ergo aliud prius, à quo eſſe ſubſtantię dependeat. Hoc autem accidens non, igitur altera ſubſtantiæ pars, quæ cum materiæ potentiam expleat, contrahatque ad ſpeciem; actus, & forma fuit à Peripateticis appellata. Quod ſi eſt harmonia forma, & ordo, ut dicunt; hoc ſecundùm locum mutato ſubſtantia eadem non

ma-

Digitized by Google

maneret, quod tamen non evenit. Quare aut non eſt hæc forma, aut non eſt generatio. melius autem illam, quàm hanc negare, ſi rectè à nobis ſtatutum eſt, quod hic aſſumpſimus, ut videtur. Itaque apparenter ſolum de forma veteres dixiſſe ex his patet: & *ad exiguam partem quandam Empedocles, & Democritus formam, & quodquid eſt eſſe rei tetigerunt*. 1. phyſ. tex. 22. Sit ergo forma, qualem Ariſtoteles indicavit, actus, & quodquid eſt ſubſtantiæ. Duo enim Phyſica principia, unum quidem materia, forma alterum; quoniam id quod generatur, non ſimplex ſed compoſitum. Si enim ſimplex eſſet, quid ſupereſſet in corruptione, ne generatio ex nihilo fiat? Manet ergò materia, quæ nunqnam corrumpitur, forma verò in totius corruptione recedit. Nam hoc modo intelligitur principia ſemper manere; non enim de omnibus uniuerſim dictum, ſed de materia; quod ſi etiam formam intelligamus manere, quamdiù compoſiti eſsentia perſeverat, non erit inconveniens.

Digitized by Google

CAP. XIV.

Quæ contra formam obiiciantur.

VIdebitur fortè alicui formæ exiſtentia neutiquam pertinens, ſi accidentia ponuntur. Nam hæc quoque formæ ſunt, & diſtinguunt, & ſunt operandi principia: quamobrem ſi propter hos fines forma inducitur, aut fruſtra accidentia erunt, aut forma. Eſſe præterea haud aliud videtur ſubſtantiæ, & accidentium. Quid enim eſt eſſe lacti? Hoc profectò, quod eſt album, fluidum, & dulce eſſe. Non erit ergo aliud præter hęc niſi materia, cui hæc inſunt. Ita quidem fortè diceretur etiam ab illis, qui non multum à Lyceo abhorrent. At mechanicè philoſophantes addunt. Si eſt quidem generatio, oportet formam educi, at hoc quomodò fiat eſt planè intelligere difficile. Vel enim omnes formæ actu in materia continentur, vel potentia. Si actu, infinitum erit, quoniam

quæ

quæ generari poſſunt, infinita. Si autem potentia dicatur, quomodò hoc; ſi ex nihilo nihil? Oportet quidem aliquid ex nihilo fieri, ſi forma de potentia materiæ educatur. Nam antequam generatio fiat, forma eſt nihil; at poſt generationem eſt aliquid: igitur erit ex nihilo. Præterquam quod inconveniens eſt educi aliquid ex eo, in quo non eſt; nec enim gladius ex vacua educitur vagina. Ampliùs ſi principia non fiunt ad invicem, nec ex materia forma, utraque enim principium eſt. Deindè qualiſnam ſit talis eductio intelligi nequit. Nam ſi educitur forma, quià à materia dependet, etiam materia ex forma educeretur, cum ab illa eſſe recipiat. His ergo rationibus Neoterici formas Peripateticas inficiantur.

Digitized by Google

CAP. XV.

Reſponſio ad ſupradicta.

AD hæc ergò reſpondentes dicamus. Utrumque enim ſubſtantiæ neceſſarium, & ejus prima forma, & accidentia; ſed illa quidem prior, hæc poſteriora. Cur enim huic ſubſtantiæ hæc inſunt accidentia? Non cauſa materiæ, quæ communis eſt. Igitur erit quoddam accidentium principium, ac radix, & hoc eſt, quod appellamus formam. Rurſus naturalibus ſubſtantiis non eædem operationes conveniunt, nam magnes trahit ferrum, non paleas; ſuccinum è contrà paleas trahit, non ferrum: ignis calefacit, aqua frigeſcere facit. Quarè hæc ſi non eſt intraneum agendi principium? Ampliùs cum ex eiſdem elementis plantæ omnes generentur, ac nutriantur; cur ex his poma, ex illis vuas, ex aliis alia colligimus pabula? Itaque propter has rationes forma ſubſtantialis con-

ceſſa. Undè non eſt verum ſimpliciter non intelligi ſubſtantiam ablatis cogitatione accidentibus, his quamvis per alterationem corruptis ſubſtantia non maneat. Non eſt autem difficilior Neotericorum dubitatio, quamuis moleſtior contentionis ſtudio facta ſit. Bifariam enim educi aliquid dicitur, vel ex eo vbi erat actu, vel potentia. Primo modo educuntur ex crumena numi, ex vagina gladius. Secundo modo forma ex materia extrahitur. Nec eſt neceſſe ita hanc, ut illa educi. Tunc enim eductio de potentia ſubiecti fit, cum aliquid generatur, aut ſecundùm ſubſtantiam, aut ſecundùm accidens. Nam accidentia quoque educi eſt manifeſtum. Formæ etiam artificiales de potentia ſubiecti educuntur, quia ſecundùm accidentalem generationem fit artificiale eſſe. Igitur non fit ex nihilo forma, cum ex materia fiat; quod enim ex nihilo fit, non præſupponit materiã, in qua potentia contineatur. Dependet verò à materia forma, & viciſſim à forma materia, ſed ſecundum diverſum cauſæ genus: forma

enim à materia, ut à ſubiecto; materia à forma, ut ab eo quod eſt ſibi quodquid. Non ob hoc tamen, quod à materia forma dependet, educi dicitur, ſed quia in materia continetur potentia non actu: ut ex ligno Mercurii forma educitur, quia in ligni potentia præexiſtebat. Quarè eductio eſt fieri actu, quod prius erat potentia. Dubitabit autem aliquis qualiter ſint in ſubſtantia accidentia: an fortè de his philoſophabimur ſimiliter, ac in civili facultate ſunt tradita? Docet enim Ariſtoteles in ſeptimo Politicorum libro cap. 8. quod *ſecundùm naturam conſiſtentium non hæ ſunt partes totius conſiſtentiæ, ſine quibus totum eſſe non poteſt.* Talis namque eſt Civitas, in qua multa ſunt, ſine quibus eſſe Civitas non poteſt, nempe alimenta, arma, pecuniæ, Religio, & juris adminiſtratio; quæ tamen civitatis partes minimè ſunt, ſed propriæ conditiones. Pari ergo modo in ſubſtantia accidentia exiſtunt; ſunt enim affectiones illius, ſed non partes.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XVI.

De actu, & potentia diſſeritur.

Malè jam cepit audiri; imò quod adhuc peius eſt, cũ riſu excipitur à Neotericis hæc doctrina actus, & potentiæ: cum tamen hæc illa ſit natura, quæ viſa ignorantiam ſolvit, ignorata ſcientiam aufert. Quarè non mirum Neotericos à via rationis multùm declinaſſe, qui ſibimet hanc veritatis januam clauſerunt. Age ergo, quàm rectè hoc à Peripateticis ſit dictum, quamue inſulsè ab ipſis irrideatur videamus. Profectò actus, & potentiæ diſtinctio antiquior eſt, & dignior, quàm fortè aliquis putet. Hoc autem majorum auctoritate declarabitur, quorum fuit celebris fama; & poſteà ratione ipſa cogente fiet luce manifeſtius. Siquidem Mercurius Ægyptius in Aſclepio loquens de creatis rebus dicit: *Non erant, quando nata non erant: ſed in eo jam tunc erant, undè naſci habuerunt.*

runt. Non erant ſcilicèt actu, erant tamen potentia; ſed non illa paſſiva (ſunt enim facta ex nihilo) igitur in activa. Eſt ergo ſimpliciter verum aliquid fieri actu, quod prius non erat, niſi potentia. Rurſus in eodem dicitur libro. *Quæcumque ſunt, quibus ineſt natura generandi, generabilia ſunt, de quibus naſci poſſunt, tametſi ea non nata ſint*. Ex illa, quæ in altera ſunt potentia, videlicet paſſiva; generabilia enim hujuſmodi ſunt. Locrenſis quoque Timæus, ac Plato uno velut ore fatentur materiam à propria potentia recedere nunquã: hoc autem dicitur quia informe debet eſſe id, quod ſuſcipit formas; ſic enim inquiunt: *Numquam illud ipſum formationis gremium bene erit præparatum, niſi informe ſit, & ſuapte natura omnibus formis, quas recepturum eſt careat*. Hæc quidem ante Ariſtotelem dicta. Poſt illum verò omnes Peripatetici non ſolùm, ſed clariores quicumque Philoſophi aſſenſere. Celebre enim etiam apud Platonicos hoc dogma: undè Plotinus de eo ex propoſito loquitur lib. 5. Ennead. 2. per totum. Sed illuſtrium

viro-

virorum teſtimonio dimiſſo, quid hac veritate clarius, quam & Mechanici ipſi tandem conſiteri coguntur? Nam combinatio, quæ nunc fit, antea non erat profectò actu, potentia tamen ſic: particularum etiam motus potentia erat, antequam eſſet actu. Sunt tamen qui fieri quidpiam de novo inficientur; ſed hoc inopinabile, & contra experientiam, qua gloriantur. Coguntur præterea ita dicentes omnia eſſe unum ens credere, ut Parmenides, & Meliſſus, ſolùm enim eſt ejus, quod unum eſt ſemper, mutari numquam. Demum artificialia conſiderantibus compertum erit fieri multa actu, quæ prius erant potentia. Nam circulus ex ære, vel triangulum, aut quævis figura actu ex potentia fit; niſi fortè dicere velis fuiſſe triangulum, aut circulum, antequam eſſet, quod planè eſt ridiculum.

Digitized by Google

CAP. XVII.

De variis Nominibus formæ.

FOrmæ quoque multa data nomina, non quia ignota ſit, ut materia, ſed ut ejus natura explicatior fieret. Id ergo, quod materiam complet, ac perficit vocatum ab Ariſtotele forma, quia format; actus, quia potentiam materiæ terminat; quodquid eſt eſſe rei, quia ſubſtantiam conſtituit; ſpecies quia ſubſtantias ad certas ſpecies determinat; ratio, quia ſola cognoſcibilis, ſeu quia eſt, undè eſt aliquid; endelechia, quia totius eſſe cauſa. A'Platone ſimulacrum dicitur, quia divinam ideam exprimit in materia; ideò à Platonicis imago divini exemplaris appellata. Arabes autem rectè vocarunt participationem primi actus rebus impreſſam. Nam omnis creatus actus eſt primi, ac divini participatio. Quarè creaturæ divinam participiant perfectionem non ex parte materiæ, quæ divinæ ſim-

Digitized by Google

ſimplicitati contraponitur; ſed ratione formæ; talis enim eſt Deus, quia & actus omnis compoſitionis expers. Dicitur quoque forma pulchrum quid, & divinum, & appetibile ab Ariſtotele, propterea quia turpido materiæ pulchritudine formæ decoratur: pulcrum autem, & bonum. Eſt autem bonum forma, & actus.

CAP. XVIII.

Ex forma, & materia unum per ſe fieri.

Quemadmodum per ſe ens ab ente per accidens diſcrimen habet, ita unum per ſe ab uno per accidens. Quarè quod non eſt per ſe ens, nec per ſe unum. Equidem unum per ſe trifariam dicitur, aut quod habet unam quantitatem ut corporea; aut quod unam eſſentiam, ut albedo; aut quod unam exiſtentiam, ut compoſitum. Ex materia enim, & forma unum ens fit, in quo, ut una for-

ma,

Digitized by Google

ma, ſic una tantùm exiſtentia. Per ſe etiam ens, & unum compoſitum dicitur ob eandem cauſam. Ideo non eſt unum, ut aceruus, ſed ut ens ſimpliciter unum dicitur. Nam quamuis in compoſito eodem duo ſint, materia, & forma; non eſt tamen duplex ens in actu, ſed unum, quia ex actu, & potentia unum in actu fitens. Neceſſe autem uniri actum potentiæ, ut unum fiat. At qualiſnam ſit hujuſmodi unio dubitant. Nam quoſdam ex Platonis ſchola per ſubtilius quoddam vinculum formam copulari materiæ tradidiſſe memorat Beſſarion lib. 3. in calumn. Plat. Peripateteci verò multi unionis modum aſtruunt, quem alii negant. Illa autem Platonicorum opinione, ut nimis improbabili dimiſſa (nec enim corpus eſt, quod inter materiam, formamque mediat) unionem tamquam ſuperadditum modum in compoſito reperiri exiſtimo. Poterat enim hæc ſingularis forma huic materiæ non uniri, quare modus erit, qui indifferentiam tollat.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XIX.

De Privatione.

MOs eſt apud Peripateticos duplicẽ de compoſito phyſico conſiderationem facere, alio enim modo, quando per generationem fit; alio quando generatione abſoluta dicitur factum. Hinc aliquandò tria, aliquando duo tantùm principia decernunt. Nam quando ad compoſiti jam exiſtentis naturam reſpicitur, illa eſſe principia dicunt, ex quibus ejus ſubſtantia coaleſcit; & hæc materia, ac forma. At in ipſa generatione accipiuntur illa, ſine quibus mutatio eſſe non poteſt. Sunt autem tria, ſubiectum, quod mutari dicitur, & forma, quam per mutationem aquirit, & privatio, à qua dum mutatur recedit. Verum privationem non eſſe inter principia connumerandam aliquibus placuit, propterea quod principia eſſe oportet, cum per illa ſint cætera. Nihil autem privatio-

ni

Digitized by Google

ni ineſt, niſi maleficium, & per ſe non eſſe; quare nec videbitur eſſe principium. Hæc quidem rectè ſe haberent, ſi privatio pars eſſet compoſiti; ſed non hoc modo principium dicitur privatio. Eſt ergo ſolùm terminus, qui in generatione relinquitur. In quacumque enim mutatione ex eo, quod non eſt, fit aliquid; ut ex non muſico muſicus homo, ex non medico medicus. Et ſic quidem ex per ſe non ente fieri aliquid dicitur: ex non ente autem per accidens, ut ex albo muſicus, ex ligno cinis. Quia autem, privatio formæ opponitur, ideo principia contraria dicta; nulli enim contraria materia, quæ utriſque ſubiicitur.

CAP. XX.

Anacephaleoſis totius operis.

DIxi aut ad veritatem, aut ad vires ſatis. Proferat meliora, qui plus poteſt: deſinat calumniari, qui invidet. Accuſari non recuſo, ſed ratione probari

Digitized by Google

bari errorem meum poſco. Hac interim gloria delector, quod eam doctrinam propugnavi, quæ doctiſſimis placuit, ni fortè nuper à crepundiis liberata ſapientia eſt. Gratias verò agere Neotericis Ariſtotelis exemplum docet; ſunt enim contrariæ opiniones utiles ad exercendum bonum mentis habitum. Magis tamen gratias agere Deo convenit, qui inveniendæ veritatis veſtigia in Peripato impreſſit: hic enim, aut certior veritas, aut nullibi eſt adhuc humana ſuſpicienti. Miratæ ſunt omnes totius orbis Academiæ Ariſtotelem, ut inter Ethnicos Philoſophos præcellentiſſimum, ſed & Pariſienſis ſchola aliarum magiſtra *Philoſophorum Principem* vocavit. Quis enim doctior, quis utilior Ariſtotele? Non excipio cum Cicerone Platonem, qui ſolùm moralia docuit; parùm verò de naturalibus tractavit, & perfunctoriè. At Ariſtoteles omnia planè diligenter enucleat phyſica, civiliaque: Stat pro Lyceo ratio, quæ ibi ſolùm naturæ leges ſinceriùs obſervat, ſtudioſiùs colit. Quin ergo

ge-

Digitized by Google

generoſum illum juvenem imitamur; Theodorum, inquam, de quo Livius lib. 45. dicit. Victori enim Paulo Emilio Conſuli, & Romani exercitus Imperatori cum januas clauſiſſet quædam Epiri civitas duorum hominum potentia ſeducta, exclamavit nobilis adoleſcens: *Quin aperimus portas, & imperium accipimus, quod orbis terrarum accepit*: Triumphanti enim Peripateticorum doctrinæ per tot ſæculorum curſus, devictis, proſtratiſque variæ pugnantium Philoſophorum ſectis; Lycei præterea gloria celebrata per ora doctiſſimorum hominum, dum pauci reſiſtere cepere, non rationis virtute, non experientiæ præſidio, quàm immeritò jactant; ſed vel quia his deſiderari forte potuerunt, quæ homini Philoſopho neceſſaria judicat in ſexto de Republica Plato; vel quia invidiæ ſtimulis agitati magnam nominis famam nanciſci ſperarunt in Ariſtotelem, atque Peripateticos debacchari: cur non dicemus: *Quin doctrinam accipimus, quam orbis terrarum accepit*? Cur de Principiis Ariſtotelis ſententia cum aſſen-

ſu non ſolùm, ſed cum plauſu nunc, ut olim, non accipitur, cum S. Thomas q. 1. de Spirit. creat. a. 3. dicat quod *Ariſtoteles conſideravit vera Philoſophiæ Principia*? Faceſſant ergo Leucippus, Democritus, aliique balbutientis Philoſophiæ Pedagogi: unus veniat Ariſtoteles, quem divinitus tradita Doctrina non ejecit è ſcholis, ſed complexa eſt; & recipere ab Ethnico homine Veritatis donum non erubuit, cum impertiri Sapientiſſimus DEUS non fuerit dedignatus.

FINIS.

Digitized by Google

V. D. Sebaſtianus Giribaldus Cleric. Regul. S. Pauli in Eccleſia Metropolit. Bononiæ Pœnitent. prò Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. D. Iacobo Cardinali Boncompagno Archiepiſcopo, & Principe.

Vidi de mandato Reverendiſs. P. Inquiſitoris Bononiæ, & approbavi Ego infraſcrip. die 13. Maii 1702.
Fr. Carolus Antonius Cantopholi Ordin. Min. Con. S. Franciſci ***S. T. M.*** *& S. Officii Conſultor.*

Stante Præfata Atteſtatione

Imprimatur.

F. Thomas Antonius Manganoni Ordin. Præd. Vic. Gen. Sancti Officii Bononiæ.

3.8.637
2

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005639334

Digitized by Google

Mci

oogle